P. ALOISIUS BONDINI

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS

SEU

DE REGULARIUM IMMUNITATE

AB ORDINARIORUM LOCORUM

IURISDICTIONE

PROUT IN NOVO IURIS CANONICI CODICE

SANCITUR

ROMAE

DESCLÉE ET SOCII. — EDITORES PONT.

(PIAZZA GRAZIOLI, PALAZZO DORIA)

1919

Visum et adprobatum

Fr. DOMINICUS M. TAVANI
Minister Generalis Fratrum Min. Conventualium.

Romae, ad SS. XII Apostolos, die 10 Iunii 1919.

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

† IOSEPHUS PALICA, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

PRAEFATIO

Parvum hoc opus non omnino otiosum fore si praelo divulgaretur, persuasum nobis est eo quod experientia demonstravit inter Regulares locorumque Ordinarios haud raro dubia et contestationes oriri quasi utrique extra propriam provinciam agere velint.

Hinc necessitas ut tum Regulares tum Episcopi suas ad invicem iuridicas relationes probe noscant, ni velint easdem inconsultis assertionibus turbare.

Equidem in tractatibus de Regularibus nec non et in novo Iuris Canonici Codice huiusmodi relationes inveniuntur. Verum, quod spectat ad tractatus de Regularibus, opera sunt haec quae non semper per omnium manus inveniri facile possunt et insuper, cum in novo Codice relationes iuridicae inter Regulares locorumque Ordinarios non parum mutatae inveniantur novique tractatus de Regularibus adhuc desiderentur, manifestum evadit quantae utilitatis sit de hac re habere opu-

sculum. Quod autem novum Codicem attinet, casus equidem omnes in quibus Regulares iuxta hodiernum ius locorum Ordinariorum auctoritati et iurisdictioni subiiciuntur in ipso invenies, sed hac illacque disseminatos. Eos igitur in unum colligere, examinare, explicare, cum praeterita legislatione comparare non parvae certe utilitatis erit.

Haec praesentis opellae ratio, ad cuius integritatem generales de Regularium exemptionis privilegio notiones praemisimus. Denique cum finis eiusdem practica sit tantum iuris cognitio, potiusquam eruditae disceptationis specimen referre, superfluas auctorum citationes plerumque omisimus, non tamen eas negligentes, quae ad pleniorem rei intelligentiam firmioremque auctoritatem captandam magis convenire videbantur, qua de causa neque dubitavimus integras quoque periodos ex auctoribus adducere.

CAPUT I.

De natura, origine, amplitudine et utilitate privilegii exemptionis.

Privilegium exemptionis definiri potest: *Privilegium ab Ordinarii loci iurisdictione subtrahens, praeterquam in casibus a iure expressis.* Consonat cum can. 615 I. C. Lucius Ferraris in sua Bibliotheca Canonica, voce *Regulares,* art. 2 n. 1, fusius eamdem sic exprimit: « Exemptio est privilegium, quo persona aut locus ab « iurisdictione Episcoporum seu Ordinariorum liberan« tur et subtrahuntur, ac summo Pontifici immediate « subiiciuntur. Est in re communis: arguitur capite « *Si Papa* 10 de Privilegiis, in 6 ».

Qua de causa privilegium exemptio dicatur et sit ita Antonius Bianchi, Podestà della Chiesa Tom. 4, p. 361, Romae 1746, explicat: « Dicitur *privilegium:* « nam quemadmodum extra controversiam est mona« chos, sive quatenus simpliciter tales, sive quatenus « in gradu clericali simul constitutos, subiectos primi-

« tus fuisse iurisdictioni Episcoporum, in quorum dioe-
« cesibus fundata monasteria fuerant; ita pariter indu-
« bitatum est, quidquid exemptionis ab illa ordinaria
« Episcoporum auctoritate a multis saeculis religiosi
« ordines consecuti sunt, id totum ipsis ex speciali pri-
« vilegio accessisse ».

Multipliciter exemptio dividitur. Cl. Vermeersch, *De Religiosis Institutis et Personis, Vol. I, n. 362* rem eleganter ita pertractat: « *a*) Exemptio est *personalis*, « *localis, mixta*. *Personalis* ipsas liberat personas, ubi- « cumque versentur, sed nullatenus loca ubi consede- « rint, *localis* directe afficit loca, personas autem qua- « tenus in eo sunt loco, ita ut simul cum adventu et « discessu initium vel finem habeat personarum exem- « ptio; *mixta* simul personas et locum eximit iurisdi- « ctione Ordinarii, qui, exceptis quibusdam casibus, « neque in personas neque in locum quicquam possit. « Huiusmodi est Regularium exemptio.

« *b*) Est *activa* vel *passiva* tantum. *Activa* tribuit « Praelato exempto iurisdictionem in aliquod territo- « rium omnesque eius incolas. Idque rursus bifariam. « Namque vel territorium istud *nullius* est *dioecesis* et « Praelati, seu *Abbatis Nullius*, regitur, instar dioece- « seos, iurisdictione quasi episcopali, vel est *in dioecesi* « Episcopi, ita ut Episcopo dioecesano certa quaedam « in illum locum competant iura.

« *Passiva* exemptio circumscribitur personis exem- « ptis et ipso monasterio, nihil autem imperii tribuit « Praelato in vicinum clerum et populum. Huius ge- « neris est per se condicio Praelatorum regularium.

« *Passiva* illa exemptio nobis videtur distinguenda « *perfecta* et *imperfecta*. Per se enim,... religiosi hie« rarchiae ecclesiasticae subduntur tum quod ad com« munem fidelium condicionem seu disciplinam *eccle« siasticam*, tum quod ad disciplinam ipsorum propriam, « i. e. sectandae perfectionis seu *religiosam*. Erit igitur « perfecta vel imperfecta exemptio, prout Episcopus « nullam retinet iurisdictionem, vel eam servat qua « ceteros regit fideles. Usus tamen est ut exempti di« cantur ii tantum qui per se omnem declinare possunt « Episcopi iurisdictionem ».

De exemptionis genesi. Nil magis accurate hac in re dici posse censemus quam id quod cl. Vermeersch op. c. n. 363 refert, cuius verba proinde transcribere adhuc liceat: « In causa, inquit, nondum plane demon« strata haec videntur tradi posse.

« 1. In primordiis, ex ipsa naturali rerum condi« cione erant monasteria in potestate Episcoporum. « Quae potestas vel ipso frequenti usu prodebatur, ut « si, quemadmodum in Africa, Gallia, Italia, ipsi Epi« scopi in partem venerant condendi monasterii; vel « formaliter agnoscebatur eo modo quo monachi Ae« gyptiaci profitebantur obedientiam Archiepiscopo Ale« xandrino; vel paucis cernebatur vestigiis, ut in pri« mis Institutis Monachorum stricte Orientalium: ius « tamen Episcopi nec negari potest nec quaerelae tunc « dabat locum.

« 2. Ubi res coeptae sunt accuratius componi, prius « videtur dubitatum de ipsa ratione qua monachi Epi« scopis obtemperare deberent: h. e. utrum clericorum

« tunc propria an communi tantum fidelium tenerentur
« obedientia. Atque huc spectarunt prima libertatis de-
« creta, ut monasteria pronunciarent " a condicione
« clericorum omnibus modis libera „. Haec *interioris*
« *regiminis* immunitas, quam imperfectam diximus
« exemptionem, iam apparet in Africanis conciliis seculi
« VI. Videtur etiam istis monasteriis licuisse, ut a quo-
« libet episcopo sibi asciscerent sacerdotes, qui sibi sa-
« cris operarentur.

« Quo tamen a quorundam Episcoporum exactio-
« nibus et molestis quandoque oppressionibus se magis
« immunes vindicarent, impulsi sunt monachi ad quae-
« rendum sibi praesidium sive regis sive summi Pon-
« tificis. Monumenta monasteriorum sic in fide et clien-
« tela S. Sedis versantium multa sunt a medio seculo IX.
« Hinc quamvis clientelae et exemptionis rationes es-
« sent inter se distinctae, proclivi tamen cursu factum
« est, ut commendatis sibi monasteriis SS. Pontifices
« conferrent privilegia, immunitates et ipsam denique
« *pleniorem exemptionem*.

« Hanc ad undecimum refert seculum van Espen;
« verius tamen dicere videntur qui vetustiorem exem-
« ptioni assignant originem, quam alii tribuunt s. IX,
« alii repetunt ex ipso s. VII et VIII vel adeo VI.

« Immo de orientali Ecclesia haec habet Thomas-
« sinus: " Inficias ire non possum, quin seculo iam
« septimo essent in patriarchatu Constantinopolitano
« bene multa coenobia, ab Episcoporum dioecesanorum
« spirituali iurisdictione prorsus absoluta, et uni imme-
« diate subiecta Patriarchae Constantinopolitano, et

« exarcho patriarchali, quem ille ad omnium omnino « monasteriorum administrationem delegabat ,,.

« Exemptio ista pertinuit s. 12 ad communem condicionem monasteriorum.

« *Plenissimam* deinde consecuti sunt exemptionem « Ordines mendicantes et plures recentiores Religiones.

(4) Cum sic essent in tuto monasteria et Ordines, « multis istis exemptionibus nimisque deminuta aucto- « ritate offendi coepti sunt Episcopi, praesertim post « schisma Occidentis. Quare de temperando privilegio « sollicitus fuit non unus Pontifex, v. gr. Martinus V, « Leo X, Paulus III, donec Concilium Tridentinum re- « stituerit Episcopis in variis casibus sive *delegatam* « sive *ordinariam* sive *utriusque rationis* iurisdictio- « nem, quam etiam in Regulares exercere valerent.

« Quo iure Tridentino etiam hodie maxime utimur. « Memoranda tamen postea est celebris C. SS. Leonis « Pp. XIII *Romanos Pontifices,* qua mutuas Episco- « porum et Regularium qui in Anglia sacris vacant « ministeriis rationes definivit. Quae Constitutio iam « communis est lex in locis missionum ».

Hanc temperatam exemptionem hodie Codex Iuris Canonici solemniter confirmavit. Dicitur enim in can. 615 « Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive « mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis « iis monialibus quae Superioribus regularibus non « subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, « praeterquam in casibus a iure expressis ».

Quare absona omnino fuit cuiusdam interpretis *C. Officiorum ac Munerum* sententia, quae in periodico

Acta Sanctae Sedis, Tom. 30, p. 407 contendebat esse a Regularibus de singulis articulis suae exemptionis afferendum authenticum documentum; quod ni facerent integram servari ab Episcopo auctoritatem in Regulares. Quam absurdam sententiam cl. Vermeersch in Vol. II, *De Religiosis Institutis et Personis; supplementum septimum,* a fundamentis evertit.

De utilitate exemptionis Regularium ab Episcoporum iurisdictione.

Huius temperatae exemptionis utilitatem ipsi Romani Pontifices non semel sollemniter affirmarunt. Ita v. gr. Gregorius XVI in suis litteris ad Archiep. Mechliniensem, 15 Ian. 1836: « Utilitas, inquit, ecclesia- « sticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium expe- « rientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in « illam odio comprobata est ».

Item Leo XIII *C. Romanos Pontifices:* « Quo me- « lius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta « atque connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili « vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento « et perfectioni religiosae conversationis consultum », privilegium exemptionis laudat atque commendat.

Cl. Vermeersch l. c. n. 364 omnes exemptionis utilitates sic docte proponit: « Itaque possumus eandem « exemptionem, fere imitati De Buck, his argumentis « comprobare.

« Per exemptionem consulitur:

« 1. *Unitati et disciplinae Ordinis religiosi,* cuius « genuinum spiritum magis fovebunt proprii Superio- « res ad eius peculiarem indolem informati.

« 2. *Fini universaliori* quam est unius dioecesis « bonum, ad quem Religiones consueverunt dirigi.

« 3. *Dignitati et decori Sedis Apostolicae,* cuius « summum imperium et immediatam in omnes Christi « fideles iurisdictionem religiosi exempti luculenter te- « stantur, et, quod plurimum valet, in sua causa per- « petuo confirmatam usu demonstrant. Et, si qua parte « impugnetur, iidem sunt illius potestatis veluti nati « assertores et defensores, per omnes sparsi regiones.

« 4. *Bono dioeceseum.* Nam, praeterquam quod libe- « rat Episcopos molesta sollicitudine et cura, privilegium « istud stimulat fervorem ac zelum utriusque cleri, in- « ducta inter utrumque quadam sancta aemulatione: « quod in uno fortasse desideretur, facile ab altero « suppletur; impedit quominus contagium erroris atque « vitiorum facile *universum* clerum et subinde populum « inficiat, atque maiorem copiam suppeditat ministro- « rum, qui sancte eorum animos excolant: Quod com- « modum opponit S. Thomas Gulielmo a S. Amore in « opusc. 19, *Contra impugnantes Dei cultum et reli- « gionem,* c. 2.

« 5. *Bono communi* totius Ecclesiae, ad quod plu- « rimum refert ut floreat status religiosus, S. Sedis « auctoritas sancte servetur, singulae dioeceses spiri- « tualibus bonis abundent; et cui maxime prodest ha- « beri, praeter militiam veluti provincialem, copias quae « in necessitates totius reipublicae magis immediate in- « tendant ».

CAPUT II.

De natura potestatis Episcoporum in Regulares.

Uti dictum est, Regulares licet gaudeant privilegio exemptionis a potestate Episcoporum seu Ordinarii loci, haec tamen exemptio temperata est, ita ut Regulares quibusdam in casibus a iure definitis, eorumdem auctoritati subdantur. Iam nunc de natura huiusmodi potestatis dicendum. Et manifestum est quod auctoritas Ordinarii loci in Regulares ad potestatem iurisdictionis pertineat. Quamvis enim iurisdictio per se in solos subditos exerceri queat, nihilominus etiam in alienos, quoties vel a iure vel a legitimo eorum superiore talis potestas alicui conferatur. Quod verificatur in Regulares relate ad locorum Ordinarios in quorum dioecesibus ipsi consistunt.

Praeterita legislatione Episcopis trifariam suam potestatem exercere concedebatur. 1. Procedebant *iure ordinario proprio;* 2. *Iure delegato;* 3. *Utroque simul.*

1. *Iure ordinario,* quoties a iure huiusmodi potestas ipsis tribuebatur ratione sui officii, seu prout *Ordinarii locorum* idest *dioeceseum.* « Quod potestatis ge-
« nus, ait cl. Vermeersch l. c. n. 368, *a*) Ample est
« sumendum, quippe quod sit secundum ius; *b*) Mor-
« tuo Episcopo. transit totum in Capitulum et Vica-
« rium capitularem ; *c*) Ab Episcopo communicari valet

« cum delegatis; *d*) In causis ubi appellationi sit locus, « obnoxium est appellationi ad Metropolitanum ».

2. *Iure delegato,* quando per solam S. Sedis delegationem. Quo in casu Episcopus non proprio sed Apostolicae Sedis nomine agit. « Huiusmodi iurisdictio, « subdit cl. Vermeersch l. c. *a*) Potius stricte est in- « terpretanda, nec praesumitur sed demonstrari debet. « Quare nec exerceri potest quin acceptam facultatem « memoret Episcopus; *b*) *Per se* non obtingit Vicario « capitulari. Si tamen de iis agitur facultatibus quae « conceduntur a Congregationibus romanis, usus inva- « luit ut facultates habituales pertineant ad Ordinarium, « quo nomine venit etiam Vicarius capitularis. Cfr. « Decr. S. Officii, 22-22 april. 1898 (Monitore, t. 2, « p. 51); *c*) Admittit quidem *subdelegationem,* cum « delegatio a summo proficiscatur Principe; facultas « tamen subdelegandi non paucis exceptionibus et mo- « dis seu regulis est circumscripta; *d*) Removet appel- « lationem ad alterum ac S. Sedis tribunal ».

3. *Utroque iure simul.* Quando scilicet Episcopus licet habeat iam a iure ratione sui officii potestatem agendi, haec tamen eidem et altero proveniat fonte, nempe S. Sedis delegatione. Subdit cl. Vermeersch l. c.: « Ex fine et modo huius concessionis colligen- « dum est quo spectat. Haec autem videtur esse eius « vis propria, ut, remotis cavillationibus et variis exce- « ptionibus seu excusationibus, certam et firmam red- « dat Episcopi iurisdictionem ubi aliquis dubitandi lo- « cus fuisset. Supplet enim delegatio quicquid ordinariae « iurisdictioni deesse possit ».

Hodierna legislatio. Licet triplex hic modus procedendi erga Regulares *theoretice* adhuc hodie sustineatur, ita ut dari possit casus in quo Ordinarius loci, accepta a Sede Apostolica speciali delegatione, eamdem in ipsos exerceat, attamen cum Codex in omnibus casibus quibus Regulares Ordinario loci subduntur, loquatur *de ordinaria potestate* eiusdem, liquet quod *in praxi* potestas delegata iam locum non habet.

CAPUT III.

De casibus in quibus Regulares subiacent Ordinarii loci iurisdictioni.

Non pauci auctores casus in quibus Regulares subiacebant in praeterita legislatione Ordinarii loci iurisdictioni diligentissime enumerarunt.

« Porro eiusmodi casus quadraginta septem refert « et explicat Fagnanus (in cap. Grave, de Officio Or- « dinarii, n. 37 et seq.)...; eisque idem auctor plures « alios praemittit, qui concernunt regulares curam ani- « marum habentes. Barbosa vero... enumerat universim « quinquaginta duos tales casus ». Ita Bouix *De Iure Regularium, Pars V, § 7* citans Reiffenstuel.

Casus isti partim inveniebantur in Corpore Iuris Canonici, sed plerique in Concilio Tridentino nominati et sanciti fuere.

Hodie vero quotquot casus existunt in quibus Re-

gulares auctoritati et iurisdictioni Ordinariorum locorum subiacent in *Codice Iuris Canonici* inveniuntur. Quare quidquid ibidem non recensetur sancitum, iam omnem vim amisisse dicendum. Nihilominus Regulares adhuc hodie ex explicita concessione iuris can. 613, fruuntur privilegiis quae unicuique Religioni a Sede Apostolica *directe* eidem concessa fuerunt. Verum, cum talis concessio non Regulares in universum respiciat, sed singulas Religiones, nostrum non erit equidem de iisdem sermonem facere. Agemus proinde de solis casibus qui ex Codice ipso indicantur uti casus in quibus Regulares subiacent Ordinariorum locorum iurisdictioni, praetermissa quaestione, utrum ex particulari privilegio, una alterave Religio a iurisdictione Episcopi etiam quibusdam in casibus recensitis in Codice, libera evadat.

Quamvis denique in enucleandis casibus aptius, ratione materiae, observandus videretur ordo logicus, maluimus tamen numerum progressivum canonum, prout in Codice invenitur, sequi.

1. — De Praecedentia.

Primus casus dependentiae Regularium ab Ordinarii loci potestate recensetur in Codice canone 106. Agit canon iste de servanda praecedentia inter personas sive physicas sive morales et paragrapho sexta statuitur: « Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praece- « dentias inter suos subditos, ratione habita principio- « rum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetu-

« dinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de « praecedentia controversias, *etiam inter exemptos,* qua- « tenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere « in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in « suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque ».

Nihil fere hac in re mutavit praesens canon de iure hucusque vigente. Siquidem in Sess. XXV, c. 13, Conc. Trid. haec statuta invenimus: « Controversias omnes de « praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur « inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam re- « gulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, « quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et « in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus, « amota omni appellatione, et non obstantibus quibus- « cumque, componat ».

Differentiae, si quae tales vocari queunt, inter ius tridentinum et nostrum ad has reducuntur. *a*) Codex noster edicit, tantum « *in casibus urgentioribus* » licere Episcopo, quaestiones de praecedentia dirimere, cum tridentinum simpliciter dicat: « *Controversias omnes* », nulla facta restrictione inter casus et casus. Verum, ut observat cl. Vermeersch, *De Reg.* Tom. I, num. 527, nota 2, etiam tridentino iure intelligendum est: « de « ordinatione illa quae moram non patitur. Definitiva « enim istius litis sententia spectat ad Congregationem « quae non ita raro has causas dirimere debuit ». Quare inter utrumque ius nullum fere invenitur discrimen, nisi quod hodie clare recensetur, quod iure tridentino non-nisi implicite. *b*) Codex noster aperte excludit tantum appellationem in suspensivo, cum tridentinum dicat sim-

pliciter: « *amota omni appellatione* ». Sed, ut refert cl. Piat, Vol. II, p. IV, c. III 2: « quamvis dicatur *amota* « *omni appellatione,* notant auctores non tolli tamen ap- « pellationem in devolutivo, si pars aliqua Episcopi iu- « dicium minus rectum apprehendat ». *c*) Tandem hodierno iure item expresse indicatur quod implicite tantum iure tridentino, nempe, sententiam Episcopi, qualiscumque ipsa fuerit, latam esse semper: « sine praeiudicio iuris uniuscuiusque » idest; integra manet causa ad obtinendam S. Sedis sententiam, per appellationem ad eandem a Regularibus interpositam.

Nota denique quod ius Ordinarii loci limitatur casui quo Regulares: « *collegialiter* cum aliis procedant ».

2. — De Metropolita.

Ius est Metropolitis peragendi pontificalia in ecclesiis Regularium suae provinciae, non secus ac tale ius tribuitur Episcopo loci ubi situm est monasterium. Ita enim statuitur canone 274. n. 6: « In omnibus ecclesiis, « etiam exemptis (Metropolita) Ordinario loci praemo- « nito, si ecclesia sit cathedralis, peragere (potest) pon- « tificalia, uti Episcopus in suo territorio, populo bene- « dicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia « exercere quae iurisdictionem importent ».

De ratione autem qua Regulares debent hac in materia se gerere dicemus infra, quando de Ordinario loci in eorum ecclesiis pontificalia agente sermo erit.

3. — De concilio provinciali.

De participatione Regularium ad Concilium provinciale haec sanciuntur in Codice canone 286. § 4: « Maiores quoque religionum clericalium exemptarum ac « Congregationum monasticarum Superiores, qui in pro« vincia resideant, invitandi sunt, debentque invitati » adesse aut impedimentum, quo detinentur, Concilio « notum facere; sed his, quemadmodum aliis ex utro« que clero viris ad Concilium forte vocatis, votum est « dumtaxat consultivum ». Ex quibus colligitur novo iam iure; *a*) adesse obligationem ex parte Concilii huiusmodi Superiores maiores Regularium invitandi; *b*) item ex parte Regularium obligationem interveniendi, et casu impedimenti, idem Concilio manifestandi.

Qua in re novum ius non parum mutavit antiquum. Nam hoc iure Superiores regulares maiores poterant equidem invitari ad Concilium, sed nulla aderat proprie dicta obligatio, et alia ex parte Regulares invitati non tenebantur adesse proindeque neque suae absentiae rationem reddere. Cl. Wernz, Ius decretalium, Tom. II, n. 855 ita rem exponit: « Praelati inferiores « sive saeculares sive regulares inter provinciam de« gentes v. gr. simplices Abbates vel Provinciales or« dinum religiosorum... ex consuetudine passim recepta « *invitari possunt,* ut cum voto consultativo ad Conci« lium provinciale accedant; sed *stricta obligatio* illos « pro suo iure vocandi ex iure communi scripto colligi « nequit, neque *ipsis incumbit obligatio veniendi* ».

4. — De religiosis regularibus Missionariis.

Regulares missionibus addicti particulares quasdam restrictiones exemptionis privilegii, relate ad suos Vicarios et Praefectos Apostolicos, semper observare debuere. Fontes iuris cui hac in re ipsi hucusque subiiciebantur, constituebant Constitutiones; *Religiosorum quorumcumque,* 8 Nov. 1601, Clementis VIII; *Firmandis,* 13 Nov. 1744, Benedicti XIV; *Romanos Pontifices,* 8 Maii 1881, Leonis XIII, quae posterior Constitutio, lata prius pro Anglia et Scotia, formaliter dein extensa fuit ad Federatos Americae septentrionalis Status, Americam Latinam, regiones Indiarum, et a Romanis Congregationibus pro perpetua norma pro locis missionum habita est. Addenda insuper erant varia Decreta S. Congreg. de Propaganda Fide.

Huius parvi tractatus fines excederet accurata comparatio huius praeteriti iuris cum iure iam ex novo Codice vigente, eo vel magis quod potius de Regularibus ubi hierarchia ecclesiastica imperat, quam de locis missionum hic sermo est. Quare breviter tantum novissimum ius exponemus quoad casus in quibus regulares missionarii suis Vicariis vel Praefectis Apostolicis subiiciuntur, praeter illos quibus iure reliquorum regularium adstricti inveniuntur. Cum enim in can. 294. § 1, statuatur quod: « Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem « iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae « in propriis dioecesibus competunt Episcopis residen« tialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit » ma-

nifestum est, regulares missionarios suis Vicariis Apostolicis etiam in iis quibus reliqui regulares, Ordinariis locorum subduntur, subiici.

a) Can. 295. § 1. « Vicarii et Praefecti Apostolici « ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac « debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eo« rum missionis, destinationis, constitutionis ac deputa« tionis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus « exercitium cuiusve ministerii ecclesiastici prohibere ». Regulares ergo non solum litteras a S. Congr. de Propaganda Fide quibus missionarii constituuntur exhibere tenentur, sed etiam suorum Superiorum regularium litteras obedientiales.

§ 2. « Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam « sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Prae« fectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent, nisi « singulis et gravem ob causam ».

b) Can. 296. § 1. « Etiam missionarii regulares « subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, « visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad mis« sionum regimen, curam animarum, Sacramentorum « administrationem, scholarum directionem, oblationes « intuitu missionis factas, implementum piarum volun« tatum in favorem eiusdem missionis ».

§ 2. « Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis « nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se « in disciplinam religiosam ingerere quae a Superiore « religioso dependet, si tamen circa ea, de quibus in « superiore paragrapho, conflictus oriatur inter man« datum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum

« Superioris, prius praevalere debet, salvo iure recur« sus in devolutivo ad Sanctam Sedem et salvis pecu« liaribus statutis a Sede Apostolica probatis ».

In casibus contemplatis paragrapho prima huius canonis cum dicatur missionarios regulares subesse « *iurisdictioni, visitationi et correctioni* » suorum Vicariorum seu Praefectorum Apostolicorum, liquet eos a iure considerari non secus ac si essent sacerdotes saeculares eiusdem Vicariatus.

De bonis temporalibus missionariorum cum dubium non raro oriri possit utrum necne ad Missionem vel potius ad Religionem exemptam pertineant liceat ad claram quaestionis intelligentiam sequentia ex cl. auctore Vermeersch, De Inst. Reg. Vol. I, n. 533, depromere: « Ab hoc initio est proficiscendum, bonorum tempora« lium quae Missionibus deputantur triplex esse genere « regimen.

« *a*) Alia enim *plene ad religiosum Institutum* per« tinent, ita ut ad Ordinarium nulla eorum spectet co« gnitio.

« *b*) Alia Instituto vel religiosis *sunt concredita,* ab « ipsisque procurantur (administrantur) ita ut Ordinario « reddendae sint rationes.

« Quod ut praestent, " Episcopum docere debebunt « Regulares quantam v. gr. pecuniam acceperint „ et « " quantum de ea et quos in usus impenderint „ atque « in universum, non secus ac saeculares missionarii, eius« dem stare mandatis. Cfr. C. *Romanos Pontifices*. Im« mediata tamen gestio ad Regulares spectat et a mente « S. Sedis non minus quam a largientium voluntate

« fuerit alienum, si hanc sibi provinciam usurpaverit « Ordinarius. Quocirca nullo etiam pacto coguntur Re- « gulares ea, quae sic fuerint missionariis deputata, per « medium Ordinarium ad eosdem transmittere, dum- « modo ne detrectent rationes quas unas decreta pon- « tificia Ordinario addicunt.

« Immo de gestione ista, cum per subditum exer- « ceatur, etiam Superior regularis cognoscere potest, « ita tamen ut potior sit Ordinarii sententia.

« *c*) Alia denique bona *plene* sunt *Ordinario* com- « missa ab ipsoque etiam immediate reguntur et par- « tiuntur.

« 2. Iam vero, omissis pecuniis et donis quae ab « Ordinario sibi sunt comparata, bona quae Regularibus « *qua talibus* obtingunt a iurisdictione Antistitis sunt « exempta, de iis autem quae *intuitu Missionis* sunt « ipsis accepta, Ordinario rationem reddere debent.

« 3. Quaenam alterutrius sint generis definit volun- « tas donatoris, cuius exquirenda sunt documenta...

« De *pecuniis* quae aliunde ad certum mittuntur mis- « sionarium, id nobis videtur dici posse, nisi expressa « fuerit alia voluntas, pecunias dono datas quae ex iusti- « tia tribuendae sint quasi-paroeciae vel pro loco cuius « Ordinarius gerit tutelam putandas esse oblatas *intuitu* « *Missionis,* alias autem ipsius missionarii usibus esse « traditas proindeque ad Institutum religiosum plene « pertinere. Patet fructus industriae etiam acquiri reli- « giosis ».

In secunda paragrapho huius canonis consecratur principium iuridicum ubique semper recognitum; reli-

giosum nempe qua talem unice pendere a iurisdictione sui Praelati regularis. Id enim ex privilegio exemptionis omnino liquet. Verum, licet iurisdictio Vicarii vel Praefecti Apostolici restringatur ad casus in quibus regularis missionarius non ut religiosus sed ut missionarius agat, tamen cum obligationes et officia utriusque naturae in unam personam cumulentur fieri potest ut inter Praelati regularis et Vicarii Apostolici ordinationes et praecepta oriatur incompatibilitas seu conflictus. Hinc sapientissime, ad removendas omnes dubitationes, datur norma servanda, scilicet, semper mandatum Vicarii vel Praefecti Apostolici praevalere. Simul tamen consulitur iuribus Praelati regularis, qui, si censeat se iniuria affici per huiusmodi mandata, viam ad iustam reparationem obtinendam apertam habet per appellationem ad S. Sedem, in devolutivo.

c) Can. 297. « Deficientibus e clero saeculari sacerdo- « tibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito « eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, « vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum cu- « ram exercendam, salvis peculiaribus statutis a Sede « Apostolica probatis ».

Agitur hoc canone de illis religiosis regularibus, qui licet in locis missionum commorentur, attamen missionariorum munus non exercent sed opera propria sui Instituti. Nostrum iam ius tribuit Vicario vel Praefecto Apostolico potestatem adsciscendi in opus ministerii huiusmodi religiosos, verum tantum ratione verae necessitatis ex deficientia aliorum missionariorum.

Verbis autem « salvis peculiaribus statutis a Sede

« Apostolica probatis » consulitur illis religiosis qui expresse vetantur a suis legibus, ne curam animarum exerceant.

d) Can. 298. « Si qua dissidia in iis quae ad cu-« ram animarum pertinent, sive inter singulos missio-« narios, sive inter diversas religiones, sive inter mis-« sionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quam-« primum componere curent Vicarii ac Praefecti Apo-« stolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, di-« rimant, integro tamen iure recursus ad Apostolicam « Sedem, qui decreti effectum non suspendit ».

e) Can. 307. § 1. « Ipsis non licet (idest Vicariis « vel Praefectis Apostolicis) inconsulta Sede Apostolica, « concedere missionariis ab ea missis veniam in perpe-« tuum deserendi vicariatum aut praefecturam, vel alio « transeundi, nec eos quoque expellere.

§ 2. « In casu autem publici scandali possunt ipsi, « audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, prae-« monito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium « statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica « Sede ».

Liquet ergo missionarios regulares; α) absque venia S. Sedis non posse relinquere Missionem modo a S. Congr. de Prop. Fide missi fuerint; β) Vicarium vel Praefectum Apostolicum illos expellere posse tantum ratione publici scandali et sub conditionibus allatis a iure. Regulares missionarii proinde devinciuntur Vicariatui cui inserviunt sicut reliqui missionarii cleri saecularis et proinde Superiores eorum non habent facultatem libere disponendi de ipsis sicut de reliquis suis

subditis, sed hac in re pendent tum a Sede Apostolica, tum a Vicariis, vel Praefectis Apostolicis.

f) Ex can. 302 regulares missionarii electi a Vicario vel Praefecto Apostolico ad efformandum suum consilium tenentur id munus acceptare.

g) Item ex can. 303 obligantur adire congregationem annuam vel etiam intermediam quam Vicarii vel Praefecti Apostolici ex iure convocare debent, prout iidem Vicarii etc.... eisdem indicaverint.

5. — De potestate Episcopi Pontificalia celebrandi in ecclesiis Regularium.

Can. 337. § 1. « Episcopus in tota dioecesi, ne ex-« ceptis quidem locis exemptis, potest pontificalia exer-« cere; non vero extra dioecesim sine expresso vel sal-« tem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, « et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu Su-« perioris religiosi.

§ 2. « Exercere pontificalia in iure est sacras fun-« tiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt « insignia pontificalia, idest baculum et mitram.

§ 3. « Episcopus, licentiam concedens pontificalia « exercendi in suo territorio, potest quoque permittere « usum throni cum baldachino ».

I. Quod spectat ergo Regulares, ex paragrapho prima huius canonis ipsi obligantur concedere suas ecclesias Episcopo loci quoties ipse voluerit ibidem pontificales functiones celebrare, iique renuentes Episcopus quidem

potest etiam poenas in ipsos sancire, non excluso interdicto contra suas ecclesias. Id enim clare colligitur ex canone 619.

Quid significet Pontificalia exercere accurate describitur paragrapho secunda. Regulares autem, accepto nuntio de voluntate Episcopi debent eidem thronum erigere cum baldachino et adhuc valet quod Clemens VIII in Decr. Congr. EE. et RR. 1603 decreverat, scilicet: « Eis (regularibus) autem id facere negligentibus « aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud asportari « et in quacumque eorumdem Regularium, aut alia quantumvis exempta ecclesia, supra episcopale solium, seu « pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere et stare quemadmodum in propria et cathedralibus eorum ecclesiis stare et sedere solent; eo dumtaxat tempore, quo Pontificales huiusmodi functiones « exercebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus « aderunt, peragatur ». Quare, dictis actibus peractis, Regulares statim auferre thronum et baldachinum possunt.

Notat cl. Piatus Tom. II, p. IV, c. III, q. 82 quod: « Episcopus exigere nequit ut Regulares ipsius Missae « assistant, vel ei occurrant, seu obviam eant ». Et n. 6 l. c., quod: « Baldachini erectio non est signum « iurisdictionis, nec uti tale illius usus in ecclesiis regularibus a SS. Pontificibus conceditur ».

Praeterita legislatione idem iuris erat quoad hanc facultatem Episcopi dioecesani, pontificales scilicet functiones in ecclesiis regularium peragere, uti patet ex decreto S. C. EE. et RR. 10 Iunii 1603 et ab omnibus canonistis exponebatur.

II. De Episcopis vero extraneis ex eadem paragrapho prima eiusdem canonis definitur ipsos indigere duplici consensu ut possint in ecclesiis Regularium pontificales peragere functiones. Necesse scilicet est ut, α) habeant saltem rationabiliter praesumptum consensum Ordinarii loci, ubi monasterium situm est; et β), ut ex se patet, consensum ipsius Superioris regularis.

Ex quibus duo sequuntur: 1. Ordinarius loci nequit iubere ut pontificales functiones celebrentur in ecclesiis Regularium per extraneum Episcopum, ipsis invitis. 2. Superiores regulares non posse admittere extraneum Episcopum ad functiones pontificales in suis ecclesiis celebrandas, absque consensu, saltem rationabiliter praesumpto, Ordinarii loci.

Tandem, cum in paragrapho tertia praesentis canonis expresse distinguatur licentia data Episcopis extraneis pontificalia peragendi, ab usu throni cum baldachino, si Regulares obtinuerint ab Ordinario loci consensum ad exercendas functiones pontificales ab Episcopo extraneo in eorum ecclesiis, non statim possunt eidem thronum et baldachinum erigere, sed indigent speciali facultate ab Episcopo loci ad hunc finem obtenta.

6. — De Synodo dioecesana.

Obligationes Regularium quoad Synodum dioecesanam inveniuntur in can. 358. § 1, n. 8, item in § 2 eiusdem canonis, necnon in can. 359, praescriptae.

In § 1 can. 358 numerantur qui: « Ad Synodum

« vocandi sunt ad eamque venire debent ». Et n. 8 statuitur quod vocandi sunt et interesse debent: « Ab- « bates de regimine et unus e Superioribus cuiusque « religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, de- « signatus a Superiore provinciali, nisi domus provin- « cialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse « ipse maluerit ».

Item § 2 eiusdem canonis: « Episcopus, si oppor- « tunum iudicaverit, potest ad Synodum vocare alios « quoque,... Superiores religiosos... ».

Can. 359. § 1. « Iis qui ad Synodum venire de- « bent, si legitimo impedimento detineantur, non licet « mittere procuratorem qui eorum nomine, Synodo in- « tersit; sed Episcopum de impedimento certiorem fa- « ciant ».

§ 2. « Negligentes Episcopus potest iustis poenis « compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur « qui parochi non sunt ».

Quod spectat igitur accessum Regularium ad Synodum dioecesanam, praeter Abbates de regimine, ius et officium interventus limitatur a iure ad solos Superiores et quidem ad unicum cuiusque religionis existentis intra dioeceseos limites. Superior qui intervenire potest et debet designandus est a suo Superiore provinciali, qui personaliter, loco alterius Superioris localis, accedere potest, tantum in casu quo ipsemet habitualem commorationem in eadem dioecesi habeat.

Ex § 2 datur tamen facultas Episcopo et alios quoque vocandi Superiores, si id magis in Domino expedire iudicaverit, eos tamen cogere nequit.

Qui vero ex iuris dispositione accedere obligantur, personaliter Synodum adire debent, neque substituere alium religiosum possunt et, si qua impediti, tenentur Episcopum certiorem reddere suamque absentiam iustificare. Qua in re notandum est quod ex § 2 can. 359 statuitur. Licet enim ex can. 619 Regulares in omnibus in quibus Ordinariis locorum subduntur possint ab eodem poenis quoque coerceri, Regulares tamen Superiores negligentes accedere ad Synodum, nequeunt ab Episcopo puniri, quamvis ab eodem expresse, ut fieri debet, vocati fuerint.

Legislatione praeterita ex Conc. Trid., Sess. XXIV, 2, de Ref. statutum solum invenimus. *a*) Regulares qui Capitulis Generalibus non subduntur debere interesse Synodo dioecesanae. Item *b*) Regulares qui vel paroeciam vel ecclesiam saecularem regerent. Et S. C. C. anno 1604 idem confirmaverat et declaraverat eosdem posse etiam ab Episcopo poena excomunicationis cogi ad interveniendum. *c*) Alexander VII autem declaraverat huic obligationi subesse quoque Abbates et Superiores conventuum per Innoc. X suppressorum, licet postea reintegrati fuerint, ac S. C. C. idem confirmaverat. Haec tantum sancita, hac in re, inveniebantur.

7. — De parocho et vicario parochiali regulari.

Definitio parochi datur a iure can. 451. § 1. « Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia « collata est in titulum cum cura animarum sub Ordi-

« narii loci auctoritate exercenda ». Hinc *a*) patet quod parochus ille solus est cui confertur titulus ecclesiae cui praeest, unde licet sacerdos exerceat omnes functiones parochiales gaudeatque iuribus veri parochi, habeatque easdem obligationes, si titulo careat, nequit vocari et censeri vere parochus, sed vel quasi-parochus, vel vicarius parochialis *proprie* vocandus esset; et, ut can. 454. § 4 edicitur: « Quasi paroeciae sunt omnes amovibiles », unde idem dicendum de quasi parocho vel vicario parochiali. *b*) Permagni momenti est distinctio quae datur in definitione quoad titularem paroeciae, idest personam physicam vel moralem, ab ea enim pendent fere omnia quae ad paroeciam et parochum regularem pertinent. Paroecia enim Regularibus quadrupliciter conferri potest. Etenim α) vel adnexa seu incorporata est monasterio Regularium *pleno iure,* seu quando et reditus paroeciae monasterio obtingunt et cura ipsa animarum est penes monasterium tamquam parochum habitualem; vel β) paroecia est saecularis et reditus tantum temporales ipsius devolvuntur monasterio, cui onus incumbit providendi pro materialibus necessitatibus eiusdem; vel γ) paroecia saecularis committitur regenda alicui Regulari viro viventi in monasterio, quin tamen monasterium sese ingerat quoad res parochiales neque in spiritualibus, neque in temporalibus; vel δ) tandem Regularis obtinet facultatem regendi saecularem paroeciam vivendo extra septa monasterii.

Uti manifestum est, tantum in primo casu paroecia evadit regularis, fitque beneficium regulare, titulusque paroeciae adhaeret ipsi monasterio, unde fit, quod, ut

modo exponetur, persona moralis seu communitas regularis est parochus titularis habitualis eiusdem. Actualis vero paroeciae cura confertur alicui religioso eiusdem monasterii sub titulo vicarii paroecialis. Ex can. 471. § 4, cum isti vicarii paroeciales habeant ad normam iuris communis totam animarum curam cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus, parochis aequiparantur et, ut sancitur § 2, can. 451, *parochorum nomine in iure veniunt.*

De singulis modis quibus Regulares regere queunt paroeciam aliquam modo videamus.

I. Primus modus et principalis est quando paroecia est *pleno iure* unita monasterio. Placita iuris sunt sequentia. *a*) Can. 452. § 1. « Sine Apostolicae Sedis in« dulto paroecia nequit personae morali pleno iure uniri, « ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, « ad normam can. 1432. § 2 »; ubi scilicet facultas peragendi huiusmodi uniones Ordinariis locorum prohibetur. *b*) Ex § 2 eiusdem canonis: « Persona moralis, cui « paroecia sit pleno iure unita, habitualem tantum cu« ram animarum retinere potest, servato, quod ad actua« lem spectat, praescripto can. 471 ». *c*) Ex can. 1425. § 2: « Paroecia fit regularis, et Superior potest sacer« dotem e sua religione ad curam animarum exercen« dam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare « et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visi« tationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam « animarum pertinent, ad normam can. 631 ». Verba: « et Superior potest sacerdotem etc.... » nequaquam innuunt libertatem deputandi huiusmodi sacerdotem, sed

solum ius nominandi residere apud Superiorem. Etenim ex supra citato can. 452. § 2, monasterium potest tantum curam habitualem paroeciae retinere, et can. 471. § 1, expresse sancitur quod: « Si paroecia pleno iure « fuerit unita domui religiosae,... debet constitui vica« rius, qui actualem curam gerat animarum, assignata « eidem congrua fructuum portione, arbitrio Episcopi ». *d*) Institutio et attributiones huiusmodi vicarii paucis ita enumerari queunt: 1) Ex can. 1425. § 2, modo citato, et ex can. 471. § 2: « Vicarium praesentat Su« perior religiosus...; loci autem Ordinarius eundem, si « idoneum, servato praescripto can. 459, repererit, in« stituat ». 2) Congrua fructuum portio quae arbitrio Episcopi, eidem assignanda est, inservit pro necessitatibus paroeciae, quae plures vel minores esse possunt secundum locorum circumstantias quae Episcopi iudicio et nequaquam Superioris ponderari debent. De ista fructuum portione vicarius disponere potest prout magis in Domino iudicaverit. Item, ut ex can. 630. § 3, disponitur: « Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroe« ciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera « acquirit ad instar aliorum religiosorum ». Et ex § 4: « Non obstante voto paupertatis, eidem licet eleemo« synas in bonum paroecianorum, vel pro scholis ca« tholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo « oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive colle« ctas administrare, itemque, servata offerentium volun« tate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper « vigilantia Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia « paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exor-

« nanda accipere, apud se retinere, colligere aut admi« nistrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit com« munitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium ». 3) Quoad spiritualia vero ex eodem can. 471. § 4 sancitum est quod: « Ad vicarium *exclusive* pertinet *tota* « animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et « obligationibus ad normam iuris communis et secundum « probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudi« nes ». 4) Idoneitas Regularis praesentati a Superiore ad munus Vicarii paroecialis suscipiendum, probanda est ab Ordinario loci ad normam can. 459, ubi sancitur § 2 quod: « In hoc iudicio ratio haberi debet non « solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, « quae ad paroeciam vacantem rite regendam requirun« tur ». Candidatus tenetur etiam sese subiicere ex § 3, n. 3: « Examini super doctrina » et quidem coram examinatoribus synodalibus. A quo examine Episcopus nequit candidatum dispensare nisi de consensu eorundem « examinatorum, si agatur de sacerdote doctrinae theolo« gicae laude commendato ». 5) Vicarius parochialis regularis, ut exponitur can. 630. § 1, « manet adstri« ctus ad observationem votorum et constitutionum « quatenus haec observantia potest cum muneris sui of« ficiis consistere ».

§ 2. « Quare, in iis quae ad religiosam disciplinam « attinent, subest Superiori, cuius proinde est, et qui« dem privative respectu Ordinarii loci, in eius agendi « rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus « ferat, corrigere ».

In canone vero subsequenti seu 631 clare exprimi-

tur natura et ratio dependentiae Vicarii parochialis relate ad loci Ordinarium, dicitur enim § 1: « Idem pa-
« rochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exer-
« ceat in domo seu loco ubi maiores Superiores religiosi
« ordinariam sedem habent, subest immediate omni-
« modae iurisdictioni, visitationi, et correctioni Ordi-
« narii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari
« observantia unice excepta ».

Quae potestas Episcopi in Vicarium parochialem regularem tum quoad suam ecclesiam tum quoad eius personam cl. Piatus De Iure Reg. p. IV, c. III, Q. 27, ita pulchre explicat. α) Quoad ecclesiam parochialem. Episcopus potest eam visitare et « praemittere Missio-
« narios, qui populum praeparent ad ipsius visitationem,
« quos Regulares admittere et recipere tenentur. Quoad
« Ecclesiam autem, Episcopus ea omnia et sola visitare
« potest quae ad parochiae servitium pertinent, nempe:
« Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, taber-
« naculum, fontem baptismalem; confessionale paro-
« chi; pulpitum ecclesiae; sacrarium ecclesiae; sacram
« supellectilem ad parochiae usum; coemeterium paro-
« chianorum; turrim campanarum, si ad usum parochiae
« adsint; vasa sacra ac aquam benedictam ». β) Quoad personam ipsam Vicarii, Episcopus potest eum: « visi-
« tare, non quidem in iis quae spectant ad observantiam
« proprii ipsius instituti; sed potest et debet ipsius
« vitam ac mores scrutari quatenus ea, quae extra clau-
« strum prodierint, Rectoris animarum exempla pluri-
« mum conferre ad populi aedificationem, vel contra
« eidem obesse maxime possunt ».

« Insuper ius habet inquirendi, an legitimo titulo « parochus animarum curam exerceat; an legem resi- « dentiae observet; an ad Synodum accedat; an con- « ferentias super casibus conscientiae haberi solitas fre- « quentet; an omnia munera pastoralia adimpleat; an « Missam pro populo applicet diebus debitis; item an « populum verbi divini praedicatione, et pueros in Chri- « stiana doctrina instruat; an sacramenta debito tem- « pore ministret et sanis et aegrotis; an pueros ante « primam communionem et confirmationem opportunis « instructionibus erudierit; an nupturientes debite inter- « rogaverit; an libros parochiales recte ordinatos re- « tineat, etc. ». Uno verbo, « a parocho vel vicario re- « gulari exigere potest Episcopus quidquid a parocho « saeculari exigere solet ». 6) In § 2 eiusdem canonis statuitur potestas Episcopi et Superioris regularis in Vicarium paroecialem delinquentem. « Ordinarius loci, « ubi eum (Vicarium paroecialem regularem) suo mu- « neri defecisse compererit, opportuna decreta condere « ac meritas in eum poenas statuere potest; in quo ni- « hilominus Ordinarii facultates minime privativae sunt, « sed Superior ius cumulativum cum ipso habet, ita ta- « men ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario de- « cerni contingat, decretum Ordinarii praevalere de- « beat ». Vicarius paroecialis regularis subiicitur igitur quatenus delinquens duplici potestati coercitivae et punitivae, Ordinarii scilicet loci et proprii Superioris regularis, unde et duplicem poenam luere tenetur si uterque Praelatus in eum condignis poenis animadverterit. Tuetur vero in lege superioritas et praecedentia Ordinarii loci

supra potestatem Superioris regularis, ita ut si conflictus habeatur praevaleat semper dispositum Ordinarii loci, etenim in praesenti casu licet Superior regularis potestatem suam in subditum exerceat, attamen cum de cura animarum agatur, res ad Ordinarium loci, praevalente iure proprio, pertinet. 7) In § 3 eiusdem canonis 631 edicitur Vicarium religiosum « quoad bona « temporalia » observare debere « praescriptum can. 533. « § 1, n. 4, et can. 535. § 3, n. 2 ». Iamvero in can. 533. § 1, n. 4, praescribitur quod pro collocatione pecuniae: « Religiosus quilibet, etsi Ordinis Regularis alumnus, « si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut reli- « giosis intuitu paroeciae vel missionis » tenetur obtinere « praevium consensum Ordinarii loci ». In § 2 autem eiusdem canonis edicitur idem servandum esse « pro qualibet collocationis mutatione ». Item ex can. 535. § 3, n. 2, Ordinarius loci ius habet cognoscendi de administratione fundorum legatorumque quae non ad domum religiosam sed ad paroeciam pertineant. 8) In eodem can. 631. § 3 item statuitur: « Quod attinet ad paro- « chi vel vicarii religiosi remotionem e paroecia, ser- « vetur praescriptum can. 454. § 5 ». Ibi vero disponitur quod: « Parochi (in nostro casu, Vicarii paroe- « ciales) ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, « ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Or- « dinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito « Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu: « nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque « minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad « Apostolicam Sedem ». 9) Quando paroecia regularis

pleno iure monasterio unita vacat, sive per mortem, sive per remotionem vicarii paroecialis, ex praescripto canonis 472. n. 2, domus Superior eiusdem regimen interim assumit, ante scilicet oeconomi constitutionem, ipseque debet, ut statuitur, n. 3, « loci Ordinarium de « paroeciae vacatione statim certiorem facere». Ex eodem canone vero, n. 1, « Ordinarius... loci in ea quamprimum « constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu « Superioris,... assignata eidem parte fructuum pro con- « grua sustentatione ». In casu praesenti haec fructuum portio assignanda est non quidem pro « congrua sustenta- « tione », cum Regularis vivat in monasterio, sed sicut assignatur Vicario paroeciali regulari. 10) Tandem can. 475 statuuntur normae servandae si quando Vicarius paroecialis « ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, coe- « citatem aliamve permanentem causam suis muniis rite « obeundis impar evaserit ». Tunc « Ordinarius loci det « vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore,... qui « suppleat eius vicem, assignata eidem congrua fructuum « portione, nisi aliter provisum sit ».

§ 2. « Adiutori, si in omnibus suppleat parochi vi- « cem, iura omnia et officia competunt parochorum pro- « pria, excepta Missae applicatione pro populo quae « parochum gravat; si vero suppleat ex parte dumtaxat, « eius iura et obligationes desumantur ex litteris depu- « tationis ».

§ 3. « Si parochus (in nostro casu vicarius) sit sui « compos, adiutor operam suam praestare debet sub « eiusdem auctoritate secundum Ordinarii litteras ».

§ 4. « Quod si per vicarium adiutorem bono ani-

« marum provideri nequeat, locus est parochi (vel vi-
« carii) amotioni ». Verba quae sequuntur « ad normam « can. 2147-2161 » non faciunt pro re nostra, cum agatur de Vicario paroeciali regulari, qui proinde est semper amovibilis.

11) Canone 476 praescribitur quod « si parochus « propter populi multitudinem aliasve causas nequeat, « iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere « paroeciae, eidem detur unus vel plures vicarii coope- « ratores... ». Quae dispositio applicanda est certe etiam Vicario paroeciali regulari. Quo in casu servandum est praescriptum § 4 eiusdem canonis ubi statuitur quod: « Vicarios cooperatores religiosos religiosus Superior cui « id ex constitutionibus competit, audito parocho, prae- « sentat Ordinario, cuius est eosdem approbare ». In § vero 7 decernitur quod talis Vicarius cooperator: « subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat « in cura animarum, ei invigilet et saltem quotannis ad « Ordinarium de eodem referat ». Uti patet, rem totam de Vicario paroeciali regulari exposuimus tantum quoad suam relationem cum Ordinario loci, sicut tractatio nostra expostulabat.

Ratio propria regendi paroeciam a Regularibus ea tantum est quae modo descripta est. Reliqui tres casus, quos statim examinabimus, solum per exceptionem a regula generali occurrere possunt, non enim de paroecia regulari in iisdem sermo esse potest.

II. Secunda ratio qua paroecia aliqua ad Regulares quadantenus pertinere potest, est, uti dictum est a principio, si ipsa foret monasterio unita quoad solos *reditus*

temporales. Hoc in casu, uti patet, paroecia remanet saecularis et Regulares habent tantum ius praesentandi parochum e clero saeculari, ipsisque onus incumbit providendi necessitatibus eiusdem parochi. Ita enim disponitur can. 1425. § 1. « Si a Sede Apostolica paroecia « domui religiosae uniatur *ad temporalia tantum* quod « attinet, domus religiosa particeps fit solummodo fru« ctuum paroeciae, et Superior religiosus sacerdotem e « clero saeculari in eadem instituendum, assignata con« grua portione, Ordinario loci praesentare debet ».

Praeterito iam iure cl. Vermeersch, l. c. n. 499, 2, rem ita breviter exponebat: « Parochia potest esse unita « monasterio quod ad *solos reditus temporales*. Quo casu, « ei praeficiendus est *Vicarius perpetuus,* qui proinde, « excepto iure speciali Praemonstratensium, regularis « esse posse non videtur. *Institutio* autem pertinet omnis « ad Episcopum, relicta Superiori regulari facultate *prae« sentandi* ».

III. Tertio loco paroecia saecularis potest ex diplomate pontificio ita regulari viro conferri, ut monasterium in eiusdem collatione nullas partes habeat. Hoc in casu paroecia confertur *in titulum* Regulari auctoritate pontificia per exceptionem contra placita communis iuris et Regularis a monasterio separatur, atque eximitur a potestate sui Praelati regularis, quae quoad utrumque forum in ditionem transit Episcopi, quoad regimen suae paroeciae bonaque acquirit non iam monasterio sed ecclesiae suae. Ita cl. Vermeersch, l. c., n. 499, 3, qui subdit; « Plerumque autem titulum non obtinet nisi

« praecarium, ita ut ne in certum quidem tempus se-
« curam habeat possessionem ».

IV. Tandem, item ex diplomate pontificio, Regularis ita potest regere paroeciam saecularem, ut etiam *extra claustra* maneat et hoc in casu magis assimilatur parocho saeculari.

Uti liquet, Regularis nequit assumere regimen paroeciae in istis tribus casibus absque S. Sedis dispensatione. Agitur enim de paroecia saeculari et can. 1442 aperte confirmat principium iuris universaliter semper admissum quod nempe: « Beneficia saecularia nonnisi « clericis e clero saeculari conferenda sunt ».

8. — De ecclesiarum rectoribus.

Can. 479. § 1, ita definiuntur: « Nomine rectorum « ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura de- « mandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit « nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in « eadem officia celebret ».

Si quando Regulares huiusmodi ecclesias regendas habeant sequentes normae a iure statutae servandae sunt. *a*) Pro institutione rectoris observanda est sequens regula sancita § 2, canonis 480. « Licet ecclesia per- « tineat ad aliquam religionem exemptam, rector ta- « men a Superiore nominatus debet ab Ordinario loci « approbari ». *b*) Rector, licet sit regularis, munera sua adimplet sub auctoritate Ordinarii loci, cum Ecclesia non sit exempta ab eiusdem iurisdictione. Cfr. can. 485.

c) Liquet Episcopum habere facultatem visitandi tales ecclesias eaque omnia sanciendi et ordinandi quae magis in Domino ipsi videbitur expedire, id enim clare colligitur ex can. 344, § 1. « Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, « quamvis exempta, quae intra dioecesis ambitum « continentur, nisi probari possit specialem a visitatione « exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam ». Quod certe non obtinet pro ecclesiis de quibus nunc agitur, cum non sint ecclesiae conventuales Regularium quae solae privilegio exemptionis gaudent. Idem iuris erat praeterita legislatione ut canonistae tradunt. Cfr. cl. Piatum tom. I, P. IV, c. III, § 29

d) Quoad remotionem vero talium rectorum can. 486 statuit: « Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut « praesentatum, Ordinarius loci removere ad nutum « potest ex qualibet iusta causa; quod si rector fuerit « religiosus, servetur, circa eius remotionem, praescriptum can. 454. § 5 ». Idest, removeri potest ad nutum tum Ordinarii loci, tum proprii Superioris regularis, aequo iure, non requisito alterius consensu, facta tamen debita monitione remotionis ad invicem ab alterutro removente etiam non indicata remotionis causa.

9. — De Episcopi consensu pro monasterii erectione.

Notiones. Ex can. 488. n. 5, monasteria seu domus Regularium dividuntur hodie in duas classes; idest *a*) in domos *formatas,* et *b*) in domos *non formatas*.

Primae sunt domus quae communitatem retinent efformatam saltem ex sex Regularibus professis, seu de familia, quorum quatuor ad minus sint sacerdotes si religio est clericalis. Secundae vero sunt communitates parvae quae praedictum numerum seu religiosorum professorum, seu etiam sacerdotum tantum, non attingunt. Quare, licet in ipsis plures quam sex Regulares de familia commorarentur, si eorumdem saltem quatuor sacerdotes non fuerint, domus formatae censeri nequeunt quando agitur de religione clericali.

1) Can. 497. § 1. « Ad erigendam domum religio-« sam exemptam, sive formatam sive non formatam, « aut monasterium monialium, aut in locis Sacrae Con-« gregationi de Prop. Fide subiectis quamlibet religio-« sam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostoli-« cae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus; secus « satis est Ordinarii venia ».

Ex quo iuris praescripto patet quod, praeter beneplacitum Sanctae Sedis, ad aperiendam quamcumque domum religiosam ad Regulares pertinentem, requiritur omnino Ordinarii loci consensus et quidem in scriptis datus. Et hic consensus requiritur ad validitatem erectionis, ita ut, si ipse defuerit, monasterium nullam adquirat personalitatem iuridicam coram Ecclesia nulloque gaudeat privilegio.

Hic Episcopi consensus iam praeterito iure requirebatur, nisi quod non in scriptis datus, sicut hodie praecipitur. « Vetus haec disciplina, ait cl. Vermeersch « l. c. cap. II, n. 104, sancita iam a C. Calcedonensi « (451) quam vigere etiam saeculo XII testantur ca-

« nones 10, 12, 13, C. 18, q. 2 *Decreti Gratiani.* A « medio sec. XIII eidem coeptum est derogari per « privilegia Mendicantium, donec restituta est a Tri- « dentina synodo, c. 3, sess. 25 De Reg., " Nec de « cetero sine Episcopi in cuius dioecesi erigenda sunt, « licentia prius obtenta ".

« Negotium porro illud, subdit idem auctor, existi- « matur ex gravioribus et ex iis quae statum mutant « dioecesis. Ex priore capite, venia ista dari nequit a « *Vicario generali sine speciali mandato:* ita communis « sententia, quae, ex altero capite, etiam vetat ne con- « cedatur a *Vicario capitulari,* " Ne sede vacante ali- « quid innovetur " (III, 8 in 6) ».

Haec immutata remanent etiam hodie ex natura potestatis Vicariorum Generalis et Capitularis, prout describitur canonibus 368 et 435, § 3.

Ex Constitutione *Romanus Pontifex* 1624 Urbani VIII, Superiores contra attentantes incurrebant privationem vocis activae et passivae necnon officiorum et inhabilitatem ad illa in futurum obtinenda. Sed haec poena, cum non amplius in Codice recenseatur, omnem suum vigorem amisit.

2) Quid dicendum de hypothesi si domus erecta quidem fuerit absque Episcopi licentia, sed postea ipse ratam habuerit erectionem? Cl. Vermeersch l. c. respondet id satis esse ut domus suam personalitatem iuridicam adquirat. « Ratihabitione enim confirmatur quod « factum est et sanatur defectus. Cui argumento acce- « dit auctoritas Pii IX, in litteris quas 26 octobris 1865 « dedit ad Ill. Archiepiscopum Parisiensem Darboy, ut

« vindicaret exemptionem monasteriorum Parisiensium: « " Te minime latet hunc esse proprium naturalem et « iuridicum omnis ratihabitionis quae ex sequentibus « factis oritur effectum, sanandi scilicet defectum illius « actus qui recte praecedere debuisset „ ».

3) Praeterito iure ex Const. Clementis VIII *Quoniam,* 26 aug. 1603 et ex Const. *Cum alias,* Gregorii XV, 17 aug. 1622, Episcopus priusquam suum concederet consensum, partes interesse habentes vocare et audire debebat; idest Superiores et Procuratores aliorum conventuum qui infra quattuor millia passuum existebant. Detrimentum vero quod isti iuste habere poterant fere unicum erat, nempe si per aperitionem alterius monasterii iidem saltem numero 12 nequirent honeste amplius vivere. Si vero alia monasteria non extabant, ex dicta Const. Gregorii XV, populus ipse audiendus erat, si de fundando monasterio mendicantium ex eleemosynis viventium agebatur. Ita pariter auctores nonnulli autumabant et parochum audiendum esse. Verum id minus certe asserebatur, cum talis praescriptio ex iure, saltem scripto, erui nequibat.

Hodierno nostro iure, ex canone 496, nihil amplius requiritur nisi quod: « Nulla religiosa domus erigatur, « nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis « vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae « sodalium habitationi et sustentationi provisum iri ».

4) *Assensus,* ait cl. Vermeersch l. c. n. 107, *negari* nequit « *sine iusta causa:* ita plerique. Agitur « enim de amplificatione Instituti cui, ex ipsa pontificia « approbatione, prodest quoddam ius quaesitum exi-

« stendi in Ecclesia ». In nota n. 2 idem cl. auctor acute subdit: « Quidam, v. gr. Reiffenstuel l. 3, t. 48, « n. 50, volunt, sine seria utilitate non esse aperien- « dum novum monasterium. Haec autem quomodo « abesse dixeris, si hinc nihil obstet, illinc vero Insti- « tutum est a S. Sede approbatum? ».

5) Concedendo suo consensu, Episcopus potest *apponere quasdam conditiones*. « Id enim videtur, ait cl. « Vermeersch, l. c. esse in potestate Episcopi. Qui po- « test plus potest minus ».

6) Hac occasione quaeri potest utrum Episcopus valeat apponere conditionem non aperiendi novam ecclesiam, vel etiam alias conditiones restrictivas cultum publicum respicientes.

Ad cuius quaestionis solutionem praemittendum est quod aedificatio cuiuslibet ecclesiae etiam regularis antiquo iam iure Episcopi licentia indigebat, ut ex Decretalibus lib. III, tit. 48 de eccles. aedif. vel repar., et ex Trid. Sess. XXV, c. 3 de Reg. colligebant veteri auctores. Neque, ut observat cl. Wernz, Ius Decret. Tom. III, n. 430, nota 14, ex eo quod Episcopus concedit consensum suum pro aedificando monasterio, statim colligere licet et consensum pro aedificanda ecclesia. « Nam quamvis cum permissione conventus *possit* « esse coniuncta licentia aedificandi etiam ecclesiam « publicam, tamen id in omnibus casibus necessario non « obtinet ».

« Porro, subdit idem auctor, Episcopus quemadmo- « dum illam licentiam dare debet atque sine rationabili « motivo denegare non potest, si omnibus circumstan-

« tiis examinatis *iusta* causa pro novae ecclesiae aedi-
« ficatione subsit, ita ex iusta et rationabili causa novo
« operi resistere atque consensum denegare valet. Quae
« iustae causae denegandi licentiam habentur, si *dotatio*
« ecclesiae necessaria desit; si constructio fiat ad *quae-*
« *stum* faciendum, non ad promovendum cultum divi-
« num; si leges *iustitiae* etiam in alteram ecclesiam
« violentur, ita ut appellatio ad Metropolitam vel R.
« Pontificem vel querela nullitatis vel actio de damno
« dato vel *novi operis* nuntiatio merito fieri possint.

« Quod si Episcopus licentiam concedendam esse
« arbitratur, profecto suae permissioni nequit apponere
« *conditiones* vel limitationes iuri communi *contrarias,*
« v. gr. quod certi fideles non satisfaciant praecepto
« Ecclesiae de audienda Missa. At non videtur prohi-
« beri, quominus in *simplicibus* ecclesiis vel oratoriis
« publicis concedendis limites quosdam constituat in
« sacris functionibus peragendis. Cfr. S. C. R. 14 Iunii
« 1845 ».

7) In Codice vigente doctrina haec invenitur sancita canone 497. § 2, sequentis tenoris. « Constituendae no-
« vae domus permissio facultatem secumfert pro reli-
« gionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum
« oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162,
« § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure
« servandis; pro omnibus religionibus, pia opera exer-
« cendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa
« permissione appositis ».

Licet ergo generaliter statuatur quod obtenta licentia construendi monasterium eo ipso intenditur conces-

sam esse facultatem etiam habendi ecclesiam vel oratorium publicum, tamen id non necessario, cum lex dicat expresse: « *salvo praescripto can. 1162, § 4* ». Iamvero in ista paragrapho edicitur quod: « Etiam so-« dales religiosi, licet consensum constituendae novae « domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retu-« lerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium pu-« blicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordi-« narii loci licentiam obtinere debent ». Ergo licentia aedificandi domum non necessario includit consensum aperiendi ecclesiam, cum uterque consensus aperte distinguatur. Distinctio tamen ista potius ad locum et situm ubi nova ecclesia aperitur quam ad ipsum ius aperiendi refertur. Et ratio distinctionis est quod Episcopus, licet nullam rationem denegandi consensum pro domo habeat, bene tamen habere potest pro aedificatione novae ecclesiae in certo determinato loco. Id vero clare colligitur ex § 3 eiusdem canonis in qua dicitur: « Ne nova ecclesia ceteris iam existentibus detrimen-« tum afferat, maiore fidelium spirituali utilitate non « compensatum, Ordinarius, antequam consensum prae-« beat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores « quorum intersit, firmo praescripto can. 1676 ».

Praescriptum autem hoc est sequens § 1: « Qui ex « aliquo novo opere damnum timet suae rei obventu-« rum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrum-« patur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, « definiantur ». Quare Episcopus in dando suo consensu pro novae ecclesiae Regularium aedificatione non solum debet ponderare utilitatem eorumdem sed etiam utrum

necne aliae circumvicinae ecclesiae reale damnum patiantur, ad cavendas contentiones qnae ex hoc capite oriri possunt cum detrimento eorumdem Regularium. Unde liquet quod etiam novissimo nostro iure Episcopus licet concesserit Regularibus facultatem aperiendi monasterium, potest tamen eisdem, servatis de iure servandis, licentiam novam extruendi publicam ecclesiam, vel oratorium denegare in actu concessionis et propter iustam causam. Contra quam dispositionem Regulares possunt quidem interponere appellationem in devolutivo ad S. Sedem.

Tandem cum in § 2 can. 497 supra citati dicatur expresse: « salvis conditionibus in ipsa permissione appositis » patet quod etiam hodierno iure valent omnia quae superius de hac materia exposuimus secundum placita iuris hucusque vigentis.

8) De aperitione scholarum et hospitalium. In can. 497. § 3 statuitur: « Ut aedificentur et aperiantur « schola, hospitium vel similis rationis aedes separata « a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia ».

Regulares igitur nequeunt scholas quascumque pro secularibus alumnis, seu etiam ecclesiasticis alumnis non propriae religionis, absque speciali Episcopi loci scripta licentia aperire. Et hoc valet etiamsi schola aperiatur intra septa ipsius monasterii quando agitur de schola pro extraneis, cum pericopes « aedes separata » respiciat Episcopi licentiam.

Item ex nostro hodierno iure huiusmodi scholae sive sint extra, sive in ipso monasterio, subsunt omni-

modae vigilantiae et visitationi Episcopi, modo semper agatur de scholis pro extraneis et salvis peculiaribus privilegiis uniuscuiusque Religionis. Cfr. Const. *Romanos Pontifices*.

Paragrapho enim secunda can. 1381 decernitur quod: « Ordinariis locorum ius et officium est vigi-« landi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam « contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat ».

Item § 3 « Eisdem similiter ius est approbandi re-« ligionis magistros et libros; itemque, religionis mo-« rumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri « removeantur ».

Canone vero 1382 decernitur quod: « Ordinarii lo-« corum sive per se sive per alios possunt quoque « scholas quaslibet, oratoria, patronatus, etc., in iis « quae religiosam et moralem institutionem spectant, « visitare; *a qua visitatione quorumlibet religiosorum* « *scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis in-* « *ternis pro professis religionis exemptae* ».

Iure praeterito res non ita liquido constabat. Haec enim cl. Wernz Tom. III. Ius Decret. tit. III, n. 82, scribit: « Quod si agatur de fundandis scholis mediis « vel collegiis per Regulares, quae iure communi de « fundandis conventibus et nunc in quamplurimis re-« gionibus Leonis XIII Const. " Romanos Pontifices ,, « praescripta sunt, servari debent ». Non igitur unica et universalis dabatur regula sicut hodie ex Codice nostro edicitur. Multa equidem possent de hac re, praeterito iure disseri, verum superfluum putamus eadem hic referre.

Patet autem quod hodie omnia privilegia de hac materia cessarunt per novae legis praescripta, quae volunt ut omnes omnino scholae ab Ordinario loci visitentur. Haec tamen intellige de privilegiis generalibus, etenim, si Religio aliqua particulare habuerit de hac materia privilegium directe ipsimet concessum, eximens eiusdem collegia ab Episcopi visitatione, haec utique sustinentur adhuc, siquidem in Canone 613, paragr. 1, dicitur explicite: « Quaelibet religio iis tantum privi- « legiis gaudet, quae in hoc Codice continentur, vel a « Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint ».

Denique ex eadem paragr. 3, eiusdem can. 497, si quae hospitia, xenodochia et huiusmodi speciei aedes a Regularibus aedificentur, obtenta ut requiritur, Episcopi licentia, manifestum est quod eadem nequaquam veluti loca exempta recenseri possunt.

9) Paragrapho 4a can. 497 tandem edicitur: « Ut « constituta domus in alios usus convertatur, eaedem « sollemnitates requiruntur de quibus in paragr. 1, nisi « agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, « ad internum regimen et disciplinam religiosam dum- « taxat referatur ». Quae verba fere litteraliter transumpta sunt ex Const. « Romanos Pontifices », paragr. « Fieri solet », ubi haec leguntur: « Religiosis sodali- « bus non licet ea quae instituta sunt (coenobia, colle- « gia, etc.), in alios usus convertere absque licentia « Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de « conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur « dumtaxat ad internum regimen et disciplinam ». Cl. Vermeersch l. c. n. 113, ad rem ait: « Posterior fue-

« rit casus, si tirocinium vel collegium studiorum pro « solis alumnis ordinis aperiatur; prior vero si insti- « tuatur publica schola ».

Esset enim vera formalis mutatio de qua sola agit lex. Igitur et pro sola domus amplificatione vel reparatione, vel etiam reaedificatione nil omnino novum requiritur, cum nihil innovetur, nisi quod iam iure subsistit.

Idem dicendum est, propter eamdem rationem, si domus regularis transferatur situ in eadem civitate vel oppido. Et etiam a fortiori, ut notat cl. Wernz, l. c. n. 618, si Regulares recuperant domum quam legitime possidebant, et propter iniustam expulsionem coacti fuerant derelinquere.

10. — De Regularibus praestantibus opus suum dioecesi.

Can. 608. § 1 statuit: « Curent Superiores ut reli- « giosi subditi, a se designati, praesertim in dioecesi « in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel paro- « chis eorum requiritur ministerium ad consulendum « populi necessitati, tum intra tum extra proprias ec- « clesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa di- « sciplina, libenter praestent ». § 2. « Vicissim locorum « Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religioso- « rum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro mi- « nisterio et maxime in administrando sacramento poe- « nitentiae ».

1) Antiquo iam iure eamdem pluries invenimus doctrinam, attamen nullibi in canone vel Constitutione peculiari eadem, uti hodie, reperiebatur expressa. Clarus Vermeersch in « *Supplemento VIII Tomus alter de* « *Religiosis institutis et personis* » doctissime istam pertractat materiam ostendendo quomodo: *a*) ex Romanorum Pontificum dissertissimis declarationibus; *b*) ex testimoniis et assertis Sanctorum et Doctorum; *c*) ex praxi Romanae Curiae, Regulares ab Ecclesia semper veluti aptissimum adiumentum Episcopis et clero saeculari pro animarum cura et christiani populi recta institutione, necnon pro ipsius Ecclesiae gubernatione designati fuere. Quare et Romanae Congregationes ipseque Summus Pontifex omni tempore amplissime usi sunt Regularibus pro bono et gubernatione universalis Ecclesiae.

2) Quamvis verba canonis non sint stricto sensu praeceptiva, nullum dubium tamen, quin ipsamet verum contineant praeceptum. Quare officio suo deessent Regulares si, salva eorum religiosa disciplina, recusarent praestare opus suum, Episcopo et parochis poscentibus istisque pateret aditus recursus ad Sedem Apostolicam.

3) Cooperatio Regularium in cura animarum potissimum explicatur in administrando sacramento poenitentiae, verbique Dei praedicatione. Alii canones, uti proprio loco referetur, obligationes quasdam peculiares de hac re statuunt.

11. — De divinis officiis tempore catechesis et Evangelicae instructionis.

Canone 609. § tertia haec praescribuntur: « Advigilent Superiores ne divinorum officiorum in propriis « ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evan« gelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae no« cumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum « afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet ».

Uti patet, canon restrictionem quamdam Regularibus imponit in celebratione divinorum officiorum in suis ecclesiis. Praeterito iure nihil hac in re statutum inveniebatur, verum spiritus legis idem resonabat, cum Concilium Tridentinum omni cum sollicitudine fideles adhortetur ut ad catecheticam instructionem adsint. « Imo, « ait cl. Wernz, Tom. III, tit. II, n. 50, Episcopi quam« vis adultos per censuras ad frequentandas catecheses « cogere non possint, tamen minime prohibentur etiam « poenis prudenti suo arbitrio statutis adstringere adul« tos, si qui inveniantur ignari principalium fidei ca« tholicae mysteriorum eorumque, quae ad consequen« dam aeternam salutem scitu necessaria sint, ut iidem « catechesi vel brevi instructioni a parocho habendae « intersint ».

Manifestum est autem quod si, tempore quo parochus tales instructiones impertit, Regulares functiones, maxime sollemniores in propriis ecclesiis peragant, fideles facile ecclesiam paroecialem relinquent desertam.

Hodierno igitur iure Episcopi loci est diiudicare utrum necne celebratio divinorum officiorum in ecclesiis Regularium huiusmodi detrimentum afferat, et in casu affirmativo, videtur posse Regularibus interdicere ne *hoc tempore* divina celebrent officia: consultius tamen esset si negotium amice dirimeretur vel ad S. Sedem ab Episcopo res exponeretur.

Cum verba canonis agant de divinis officiis in genere, patet quod prohibitio extendi possit etiam ad Missarum simplicem celebrationem. Semper tamen prohibitio restringeretur ad unicum tempus catechesis vel Evangelicae explanationîs. Quare etiam nunc Regularibus Episcopus prohibere nequit ne ante missam parochialem litent, cum nihil hac in re novo iure, sancitum sit, unde valent etiam hodie quae cl. Piatus, Tom. II, Pars V, c. II, art. II, Q. 271, scribebat: « Potest quidem Episcopus lege synodali prohibere, ne diebus « festis Missa in aliis ecclesiis celebretur, nisi celebrata « Missa in ecclesia parochiali. Sed huiusmodi legi non « subiiciuntur Regulares. Unde S. Pius V id Episcopis « vetuit; et illos eiusmodi prohibitionem condere non « posse declaravit S. C. C. die 15 Sept. 1629: 28 Febr. « et 8 Aug. 1761, ubi: An Religiosi Conventuales B. « moniti ab Episcopo, debeant se abstinere a celebrandis « missis... ante Missam parochialem, vel donec illa ab- « solvatur. Resp. ad I. Negative ». Idem eruitur ex can. 1171 ubi legislator clarissime mentem suam manifestat hunc in modum: « Ordinarius autem, praesertim « horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, prae-

« finire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad reli- « gionem exemptam pertineat, firmo praescripto ca- « nonis 609, § 3 ».

12. — De campanarum pulsatione, de precibus recitandis, et sollemnitatibus peragendis.

Can. 612. « Praeter praescriptum can. 1345, si loci « Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, « preces aliquas vel sacra sollemnia indicat, religiosi « omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis consti- « tutionibus et privilegiis suae cuiusque religionis ».

Tria igitur hoc in canone statuuntur, quae breviter seiunctim examinanda sunt.

1. *De pulsatione campanarum*,

Talis pulsatio ab Ordinario loci praecipi potest non quidem absolute sed relative tantum seu ob causam publicae alicuius manifestationis. Id ipsum iam antiquo iure vigebat ut videre est apud omnes canonistas et decisum fuerat a S. C. Rituum 3 Aprilis 1821.

Regulares vero suas possunt pulsare campanas prout magis opportunum iudicaverint, modo non excedant limites discretionis, neque Episcopus eis prohibere potest ut suas campanas pulsent tantum postquam ecclesia paroecialis suas pulsaverit sive pro Missa parochiali, sive pro sonitu Ave Maria etc... Haec deducuntur ex canone 1171 et consonant cum iure hucusque vigente, ut

pluries definitum fuerat in responsionibus S. Rituum Congregationis.

Manet etiam nunc prohibitio, saltem ubi hoc ius maioris ecclesiae servatur, ne sonitus campanarum a Regularibus peragatur a Feria V Maioris Hebdomadae ad Sabatum Sanctum antequam pulsetur campana maioris seu dignioris ecclesiae loci. Est enim praescriptio ritualis pluries a S. R. C. emanata quae proinde vi canonis 2 Codicis in suo vigore remanere debet.

2. *De precibus recitandis.*

Vi eiusdem canonis 612 Regulares tenentur non solum recitare in missis collectas ab Episcopo praescriptas uti iam antiquo iure sanciebatur, verum etiam alias quoque preces quas Episcopus causa publica recitandas ordinaverit. Liquet quod Regulares tenentur quoque Episcopum loci in canone Missae nominare.

3. *De sacris sollemnibus celebrandis.*

Propter causam publicam possunt Episcopi vi eiusdem canonis Regularibus praescribere ut vel Missam sollemnem vel expositionem SS. Sacramenti in suis ecclesiis peragant.

Quaeri potest utrum Episcopus valeat solis Regularibus huiusmodi sollemnia praecipere? Ad cuius quaesiti solutionem distinctio fieri potest inter ecclesias Regularium communes easque quae rationem aliquam peculiarem cultus publici in se habent, uti sunt sanctuaria.

Si agatur de ecclesia quae nullam habeat rationem cultus particularis vel etiam ratione publicae utilitatis vel necessitatis non indicetur ut locus proprius talium sollemnitatum, Episcopus nullam habet rationem easdem indicendi in tali ecclesia, cum sit exempta. Sed etiamsi agatur de sanctuario, vel etiam quando ecclesia Regularium unice apta videatur ad aliquam peculiarem sollemnitatem peragendam, nequaquam Episcopus huiusmodi sollemnitatem praecipere potest, cum nihilominus ecclesia semper sit exempta, vique canonis 612 Regulares tenentur quidem obedire Episcopo praecipienti sacra sollemnia, sed per dispositionem generalem, non vero ipsis exclusive factam.

13. — De delictis et poenis.

I.

De causis ad S. Officium spectantibus.

Canone 501. § 2 decernitur: « Superioribus quibus-« libet districte prohibetur quominus in causis ad S. Of-« ficium spectantibus se intromittant ».

Ad huius canonis intelligentiam animadvertes quod iam antiquo iure cognitio causarum quae ad S. Officium spectant privative, idest, exclusis propriis Praelatis, competebat Episcopis. Ita ex Trid. sess. V, c. 2 de Ref. etc... Episcopus enim est inquisitor natus. Quare Regulares delinquentes in huiusmodi causis, nullo modo poterant a propriis Superioribus examinari seu iudicari iudicia-

liter, sed tota res vel ad S. Officium vel ad Episcopum loci ab ipsis Superioribus deferenda erat. Quae omnia praesenti nostro canone confirmantur.

S. R. et U. Inquisitio 15-17 Maii 1901 sequentia declaraverat quoad presentem materiam: « Uti pluries « a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. Of- « ficium spectantibus nullo modo ad Superiores Regu- « lares pertinere subditorum suorum causas agnoscere, « nulloque proinde titulo aut praetextu posse vel debere, « nisi de expresso S. Congregationis mandato, de his « inquirere, denunciationes recipere, testes interrogare, « reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre, « aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immi- « scere vel manus apponere; sed quos Religiosi Viri « ex suis subditis vel confratribus vel etiam superiori- « bus huiusmodi criminum (praesertim quod ad abu- « sum Sacramentalis Confessionis spectat), reos vel su- « spectos, noverint, strictim teneri, absque ulla cum « aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, « nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, « eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter de- « nuntiare. Ne vero sanctissimas has leges ex ignorantia « (quod Deus avertat) negligi aut infringi contingat, « Superioribus grave onus incumbere eas, quo oppor- « tuniori putarint modo, ad subditorum suorum certam « et distinctam identitem deferre notitiam earumque ab « eis plenam observantiam urgere ». Subdit vero cl. Piat Tom. II, Pars IV, c. III, Q. 90: « Notandum tamen « est his verbis Superiores non prohiberi quin possint

« ita casui providere ut scandalum, si adsit, removere « nequeant, v. gr. subdito reo prohibitionem imponendo « audiendi confessiones ».

II.

Delinquentes contra clausuram Monialium.

Canone 603 renovatur lex a Tridentino Sess. XXV, c. 5, De Regularibus, etc. et a Gregorio XV per suam Const. *Inscrutabili,* § 4 ad Regulares expresse applicata. Paragrapho prima etenim statuitur: « Clausura « monialium, etsi Regularibus subiectarum, sub vigilan- « tia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, Regu- « laribus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris « corrigere et coercere ». Animadverte tamen quod antiquo iure Ordinarius loci procedebat hac in re tamquam Apostolicae Sedis delegatus, uti expresse Gregorius XV Const. *Inscrutabili* declaverat, hodie vero talis facultas comprehenditur inter eas quas de iure ordinario Episcopus exercet. Cum vero can. 2342 violantes ingressu clausuram monialium excommunicatione Sanctae Sedi simpliciter reservata plectentur videri posset superfluum quod canone 603 de quo agimus, edicitur. Non tamen ita. Nam vigore huius canonis aliis quoque poenis et censuris, Regulares delinquentes ab Episcopo loci mulctari possunt. Hac ergo ratione suae speciali iurisdictioni subduntur.

III.

Regulares extra domum delinquentes.

Canone 616. § 1. « Regulares extra domum illegi-« time degentes, etiam sub pretextu accedendi ad Su-« periores, exemptionis privilegio non gaudent ».

Regulares qui hoc canone indicantur sunt: *a*) Apostatae; *b*) Fugitivi; *c*) Qui furtive exit a monasterio licet non habeat animum ab obedientia Superiorum se subtrahendi, neque a communibus observantiis suae religionis, sed *de facto* illegitime, licet ad tempus, extra claustrum degit. Id patet ex verbis canonis: « etiam sub « pretextu accedendi ad Superiores ». Qui enim derelinquit suum monasterium ut Superiores maiores adeat, non proprie vult sese subtrahere obedientiae sui praelati. Tamen et ipse praesenti lege apostatae et fugitivo quoad exemptionis privilegium aequiparatur.

Omnes isti ergo, dum ita extra claustra versantur, exemptionem personalem qua in monasterio, vel etiam extra monasterium legitime versantes gaudebant, amittunt et omnimodae iurisdictioni Ordinariorum locorum subiiciuntur. Alia ex parte, quia Regulares, quamvis delinquentes extra claustra, subiacent etiam omnimodae iurisdictioni Superiorum suorum. Tum ergo Episcopi tum Superiores, possunt in eos poenis et censuris animadvertere.

Quae in praesenti canone praescribuntur, iam, aliquo saltem modo, decreta fuere iure hucusque vigente. In Conc. enim Trid. Sess. XXV, c. 4 de Regularibus talia

invenimus: « Nec liceat Regularibus a suis conventibus « recedere, etiam praetextu ad Superiores suos acce« dendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui « vero sine praedicto mandato in scriptis obtento, re« pertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor « sui Instituti puniatur ». Cl. Vermeersch, l. c. n. 342 tamen scribebat quod si Regulares ad hoc iter arripiendum gravem causam habuerint excusandi forent ne ita severe iudicarentur. Cl. Piat autem observat, l. c. Tom. I, P. III, c. 1, § 2, Q. 226 quod huiusmodi Regulares, *per se,* non amittebant privilegium exemptionis personalis, sicut hodie edicitur novo iure, sed tantum aliquo modo, cum ab Ordinariis locorum poterant puniri. Apostatae vero omnia sui Ordinis privilegia amittebant, modo habitum suae Religionis dimisissent et sententia criminis declaratoria secuta fuisset.

In § 2 eiusdem canonis 616 contemplatur e contra casus Regularium qui legitime extra claustra versantur, idest cum sui Superioris licentia, et delictum aliquod commiserint: « Si (Regulares) extra domum delictum « commiserint, nec a proprio Superiore praemonito pu« niantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi legitime « exierint et domum reversi fuerint ». Nota igitur sequentia, ut possit Ordinarius loci in Regulares huiusmodi poenis animadvertere: *a*) Necesse est ut delictum commissum fuerit extra claustrum; *b*) Ut Superior regularis praemonitus fuerit ab ipsomet Episcopo et quidem cum animadversione delinquentem poenis afficiendi; *c*) Ut Superior hac in re Ordinarium loci audire noluerit.

Praeterito iure eadem disciplina vigebat, siquidem in Conc. Trid. Sess. VI, c. 3 de Ref. sequentia habentur: « Nemo saecularis clericus cuiusvis personalis « (alii legunt: cuiusvis ordinis persona vel reg.), vel « regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis « privilegii praetextu tutus censeatur, quominus, si de- « liquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede « Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones « visitari, puniri et corrigi valeat ». Item Sess. XXV, c. 14 de Reg.: « Regularis, non subditus Episcopo, « qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita « notorie deliquerit, ut populo scandalo sit; Episcopo « instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo « praefigendum severe puniatur, ac de punitione Epi- « scopum certiorem faciat; sin minus, a suo Superiore « officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri pos- « sit ». Eadem Clemens VIII Const. « *Suscepti muneris* § *3* » et Bened. XIV Const. « *Pontificia* » denuo confirmarunt. Sola differentia inter utrumque ius est quod praeterito iure Episcopi procedebant tamquam S. Sedis delegati, cum nostro iam iure id faciunt potestate sua ordinaria.

Quia igitur etiam nostro iure valent quae auctores scribebant sub praeterita lege hac in materia, placet hic referre quae cl. Piatus l. c. Tom. II, Pars IV, c. III, Q. 99 refert: « An igitur Regulares delinquentes sub- « dantur Episcopo? R. Distinguendum est, utrum Re- « gularis intra claustra degat, an vero extra claustra.

« I. Si prius, et 1° intra claustra delinquat, non « subditur Episcopo quoad correctionem.

« Excipitur: *a*) si in personam Episcopi delinquat, « vel ipsi iurisdictionem impediat ». Hodie id patet ex canonibus 2331, 2334, 2341, 2344.

b) Si in ecclesia sui monasterii notorie et cum po- « puli scandalo delinquat, iuxta declarationem S. C. « Conc., 19 Sept. 1625; tunc enim censetur extra clau- « stra delinquere; nisi clausae forent ecclesiae ianuae, « et Regulares soli in ea essent, quando commissum « fuit delictum, uti in alia congregationis eiusdem de- « claratione legitur apud Fagnanum n. 69.

« II. Si vero licet intra claustra degens, extra clau- « stra delinquat (ita ut populum scandalizet) equidem « Episcopus non potest illum punire, sed instare debet « ut a suo Superiore, intra tempus ab Episcopo prae- « figendum, severe puniatur, ac de punitione ipse Epi- « scopus certioretur, alias Superior negligens a suo of- « ficio privandus est et Regularis delinquens ab Episcopo « puniri potest ».

« Ab hac regula plures eximunt Praelatum seu Su- « periorem regularem, si ipsemet delinquat: quia no- « mine religiosi in odiosis non venit Praelatus. Alii « vero etiam ad ipsum Superiorem sic delinquentem « Tridentinam legem extendunt, et docent Episcopum « instare posse apud illius Praelati Superiorem, ut il- « lum puniat ».

Subdit etiam quaestione sequenti idem auctor: « 2. Quamvis Episcopus non possit illum (regularem « delinquentem) iudicare, nec contra illum processum « efformare iuridicum, potest tamen talem qualem in- « formationem sumere per modum simplicis examinis,

« interrogando quid commiserit, unde sit, ubi degat, ac « coetera huiusmodi, et aliquem summarium processum « facere, delicti testes interrogando, et processum trans- « mittere ad Superiorem regularem, ut delinquentem « severe puniat, et de punitione ipsum per legitima do- « cumenta certiorem faciat ».

« 3. Ille summarius Episcopi processus ad Superio- « rem regularem transmissus, certe non sufficit ad con- « demnandum delinquentem, sed sufficit, ut Superior « regularis subditum examinet atque iudicet ».

« 4. Quum legis scopus sit, ut quantocius occur- « ratur scandalo, Episcopus praefigere debet tempus « breve, congruum tamen et competens ad punitionem « infligendam; quale plures existimant esse 20 aut 30 « dierum. Alii vero dicunt fieri posse ut hoc tempus « quandoque sit insufficiens, v. gr. si, iuxta Constitu- « tiones Ordinis, poena, quam crimen meretur, sit re- « servata Definitorio, vel Praelatis maioribus »,

« 5. Licet Episcopus terminum praefigere possit, in- « fra quem Superior regularis delinquentem punire de- « beat, nequit tamen iuridice cognoscere an poena in- « flicta sit levis vel gravis. Si tamen ei constet de « fraude in debita poena delinquenti infligenda, contra « eum procedere valet ».

« 6. Sufficit autem quod Episcopus una vice instet « apud Superiorem regularem, quamvis Superior puni- « tionem differre possit, quoadusque ipsi iuridice con- « stet de sui subditi delicto ».

« 7. Superior regularis tenetur Episcopo transmit- « tere acta iudicii ac sententiam; imo illum certiorem

« facere de ipsa punitione, atque de sententiae execu-« tione ».

« 8. Si Superior regularis, instante Episcopo, negli-« gat subditum punire, eo ipso a suo Superiore pri-« vandus est suo officio, et delinquens ab Episcopo « puniendus est ».

De hoc ultimo nota quod in nostro Codice non amplius taxatur poena Superiori negligenti infligenda, hinc iste utique puniendus est, sed Superioris sui arbitrio.

« 9. Si in aliam dioecesim subditum impunitum « transmiserit, tenetur, instante Episcopo, illum revo-« care... ».

Praeterito iure delictum oportebat quod fuerit notorium, non quidem notorietate iuris sed facti. Ita enim desumebatur ex Conc. Trid. Sess. XXV, c. 14 De Regul. Verum hodie cum ius nostrum dicat simpliciter « delictum » notorietas non videtur amplius requiri.

14. — De abusibus qui irrepserint.

Canon 617. § 1. « Si in Regularium aliorumve reli-« giosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abu-« sus irrepserint, et Superior monitus prospicere negle-« xerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem « Apostolicam statim deferendi ».

Circa praesentem legem haec notanda. *a*) Ipsa supponit exemptionem monasteriorum ab Episcopi iurisdictione, cum etiam in re tam gravi qualis est abusus coercitio, non potestatem agendi, sed tantum obligatio-

nem denuntiandi Episcopo tribuat. *b*) Materia circa quam versatur lex sunt soli « abusus qui irrepserint vel « in domibus vel in ecclesiis Regularium ». Abusus hic sumitur pro abituali et gravi inobservantia legum ecclesiasticarum. Qui abusus vel in monasterio posset introduci, ut si, clausura non legitime custodiatur, vel vita monastica graviter negligatur a Regularibus vivendo more saecularium, etc...; vel abusus in ecclesia regulari tantum, ut si leges circa celebrationem Missarum, circa cantum, circa crates Confessionalium, circa altaria, circa custodiam SS. Eucharistiae etc. pessundarentur. Non ergo transgressiones singulorum individualiter sumptae, neque transgressiones per modum actus, materiam efformant praesentis legis. *c*) Prima Episcopi obligatio est monere Superiorem regularem ut abusus auferat. Quod si iste non paruerit rem deferre debet ad Sedem Apostolicam.

§ 2. « Domus autem non formata manet sub pe- « culiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepse- « rint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest « interim providere ».

Ut ex can. 488 n. 5° edicitur, domus non formata habetur novo iure omne monasterium in quo « sex sal- « tem religiosi professi non degunt, quorum, si agatur « de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes ».

Praeterito iure monasteria quae non habebant legitimum numerum religiosorum ammittebant exemptionis privilegium. Urbanus enim VIII per suam Const. « *Cum saepe contingat* » an. 1625, statuerat: « Mona- « steria et loca huiusmodi posthac recipienda, in qui-

« bus 12 religiosi, ut supra sustentari atque inhabitari « non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii « loci visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdi- « ctioni subiecta esse intelligantur ». Quod ab Inn. XII confirmatum fuit per Const. « *Nuper* », d. 23 dec. 1697.

Verum, neque quoad numerum religiosorum, neque quoad loca haec lex veluti universalis haberi poterat. Cl. Vermeersch ita rem breviter exponit *De Religiosis Institutis etc....... Tom. I, n. 365:* « *Si* « *scriptum iuris* consideras, numerus iste, ex C. *Nu-* « *per* Innoc. XII, d. 23 dec. 1697, est *in Italia et in-* « *sulis adiacentibus,* definiendus ad *sex* saltem reli- « giosos, quod ad monasteria erecta ante decretum « Urbani VIII, 21 iun., 22 sept. 1625, et non suppressa « C. *Instaurandae* Innocentii X; ad *duodecim* vero quod « ad reliqua monasteria. Atque ita etiam habetur resp. « S. Congr. Conc. 26 aug. 1873. *Extra* vero *partes* « *Italiae,* nullus numerus requiritur monasteriis quae « decretis Urbani VIII sunt tempore priora; in aliis « autem videtur usus esse S. Congr. EE. et RR. ut « iam pro exemptis habeat Regulares qui sex numero « eandem insident domum, praesertim si quattuor ex « illis sint sacerdotes. Sic iam 12 maii 1741, in causa « minorum Conventualium, declaravit " Episcopum « posse visitare solum quando actu non adsint sex « Religiosi ,,; et SS. Leonis Pp. XIII *Romanos Pon-* « *tifices* eandem videtur laudare sententiam, quam pro- « ponunt etiam Craisson, Manuale iuris can. n. 2564, « Smith, *Compendium iur. can. n, 455,* Huguenin, *ius*

« *canon. De Regularibus* art. 15, C. Melchers, *De Ca-*
« *nonica* dioecesum visitatione, p. 12, n. 17.

« Praeterea, nisi specialia inciderint adiuncta, Sacra « Congregatio non instat ut Episcopi suo utantur iure « visitandi minores conventus, imo ipsis interdum per- « suasit ut abstinerent; neque istas domus Episcopi vi- « sitare solent ».

« Denique, nisi agatur de iis conventibus quos prius « extinctos mox restituit Innocentius X, visitatio et ius « Episcopi circumscribuntur iis quae *ad ecclesiasticam* « pertinent disciplinam, exclusa *regulari* ».

« Visitatio fit ab Episcopo, tamquam Apostolicae « Sedis delegato, C. *Ut in parvis*, 10 feb. 1654 ».

Hodierno nostro iure res est claro modo definita ita ut non amplius ambiguitas dari queat. Ad cuius legis intelligentiam haec nota. *a*) Parva monasteria vocantur domus non formatae quae semper et ubique hoc nomen recipiunt quoties non habeant de familia *sex* saltem Regulares *professos* commorantes, quorum *quattuor* saltem fuerint sacerdotes. *b*) Istae domus non formatae privilegium exemptionis nequaquam amittunt, neque proinde subiacent Episcoporum *iurisdictioni*, sed tantum *peculiari vigilantiae* ipsorum. Verum, quid iuris tali peculiari vigilantia Episcopo tribuitur? Nihil aliud sane nisi quod in ipso canone edicitur, seu quod: « si « abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse « per se potest interim providere ». Interventus Episcopi ergo circumscribitur casu quo in istis domibus tales abusus irrepserint qui scandali causa inter fideles fuerint. Sed neque in hoc casu Ordinarius loci potest

definitive et absolute agere, siquidem lex expresse ait quod ipse potest tantum « *interim providere* ». Ergo res definitive componenda est vel a Superiore regulari, vel a S. Congregatione cui ipsa delata fuerit.

15. — De quaestuatione.

Can. 621, § 1. « Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, « ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab « Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt ».

§ 2. « Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue « dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus « de causis, ne denegent neve recusent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi in qua est « constituta, vivere nullo modo possit ».

Praeterito iure ex Conc. Trid. Sess. XXI, c. 9, *De Ref.* abolita fuere nomen et usus *Quaestorum eleemosynarum.* « Quaestores isti, ait cl. Vermeersch l. c. n. 372, « quasi suscepto officio, pro variis piis locis vel operibus quaeritabant subsidia praedicantes et promulgantes indulgentias, miracula saepe ementita ».

Ex hoc tamen non certe licebat colligere Tridentinum prohibuisse omnem quaestuationem, cum simul Concilium faciat Episcopis positivam facultatem colligendi eleemosynas. Pius V vero Const. *Etsi mendican-*

tium decreverat: « Quod vero de usu quaestorum elee-
« mosynarum auferendo loquitur (sc. Trid.) Sess. XXI, « c. 9, id ad Mendicantium Ordines nullo modo re- « ferri posse, vel debere, etiam decernimus, quin potius « cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id « facere liberum omnino esse declaramus ». Urbanus VIII sua Const. « *Cum sicut* » iterum ius quaestuandi Mendicantibus formaliter agnoscit: « Inhaerentes declara- « tionibus alias desuper edictis, ait Pontifex, praefatos « Minores Conventuales sancti Francisci, tanquam Men- « dicantes, nequaquam posse ab Ordinariis locorum, seu « aliis Regularibus prohiberi, quominus per se ipsos in « locis ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, sed « tantum si extra loca, ubi conventus existunt, quaeri- « tare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam « Ordinario ostendere, Apostolica auctoritate decla- « ramus ».

Iisdem fere verbis Clemens XI per suam Constit. « *Exponi Nobis* » d. 8 iulii 1717 praecedentia decreta confirmavit. Idem ius plurima S. C. EE. et RR. responsa statuere. Unde sic paucis praeterita legislatio comprehendi potest. *a*) Ordinibus Mendicantibus ius erat *per seipsos* quaestuare seu eleemosynas colligere in locis ubi monasteria eorum sita erant; absque ulla formalitate. *b*) In ipsa dioecesi vero ubi monasteria habebant, sed ubi monasteria sita non erant, tenebantur ostendere Ordinario loci licentiam Superioris. *c*) Extra vero dioecesim, praeter licentiam suorum Superiorum, impetrare debebant licentiam Ordinariorum locorum ubi quaeritare volebant. Ita etiam in Gerund. 11 martii 1892.

Novum ius. Ex can. 621 supra allato praeteritam legislationem aliquantulum mutatam invenimus. *a*) Non amplius fit expressa mentio obligationis ostendendi licentiam proprii Superioris Ordinario loci, si quando mendicantes quaeritent in dioecesi quidem ubi monasteria habent, sed non in ipsis locis ubi eadem sita inveniuntur. Verum, ad cohonestandam peregrinationem suam extra monasterium id sane necessarium aliquando esse potest. *b*) Licentiam quam ab Ordinariis locorum impetrare debent, si quando extra dioecesim ubi eorum monasteria sita sunt, quaeritare intendunt, *in scriptis* obtinere tenentur. *c*) Licentiam locorum Ordinarii denegare nequeunt absque gravi et urgenti causa « si « religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in « qua est constituta, vivere nullo modo possit ». Liquet ergo quod si talis necessitas desit Ordinarius loci potest iam denegare licentiam quacumque ex causa rationali. Qua in re praeteritum ius aliquatenus restrictum invenitur. Non enim talis conditio a canonistis requirebatur. Cfr. Piat, Tom. II, Pars IV, c. III, Q. 52. *d*) Tandem notandum quod Mendicantes quaeritare possunt *per se ipsos* tantum, cum hoc privilegium sit personale.

16. — De Abbate Regulari.

Can. 625. « Abbates regulares de regimine, legi« time electi, debent intra tres menses ab electione be« nedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua

« monasterium situm est; postquam vero benedictio-
« nem receperint, praeterquam potestate conferendi or-
« dines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privi-
« legiis de quibus in can. 325, excepto pileolo vio-
« laceo ».

Abbates regulares de regimine sunt qui praesunt monasterio exempto quidem a iurisdictione Episcopi loci, sed existente iuridice in eiusdem dioeceseos territorio, et per hoc distinguuntur praecipue ab Abbatibus titularibus. Benedictionem quam petere debent ab Episcopo dioecesano respicit tantum facultatem conferendi ordines minores, et privilegia honorifica, sed minime ipsam iurisdictionem in proprios subditos, unde eamdem plene exercent etiam ante receptam benedictionem.

Exigua tantum habetur differentia inter ius praeteritum et praesens. In praeterita legislatione benedictionem scilicet non intra tres menses uti hodie requiritur, sed solum intra annum recipere, ab Episcopo dioecesano cogebantur abbates regulares. Cfr. Oietti, Synopsis, etc... Verbum Abbas. Wernz, Ius. Decret. II, 388 subdit quod saltem ter humiliter eam petere debebant et si non receperint, ab alio Episcopo poterant benedici. Semel autem benedicti, si ad aliud monasterium, alterius etiam dioeceseos, translati fuerint, non debebant iterum benedici. Haec nostro etiam iuri applicantur.

Olim plures habebant privilegium vi cuius censebantur benedicti eo ipso quod eligebantur. Verum hodie hoc privilegium evanuit. Quod vero spectat Abbates *nullius*, haec in canone 322, § 2 sanciuntur: « Abbates « autem vel Praelati *nullius* qui ex praescripto Apo-

« stolico vel ex propriae religionis constitutionibus be-
« nedici debent, intra tres menses a receptis litteris
« apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictio-
« nem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant ».

De potestate conferendi ordines sermo erit ubi haec materia infra tractabitur.

17. — De tertiariis, confraternitatibus et piis unionibus.

I.

De tertiariis.

Brevitatis gratia verba singulorum canonum hic non referemus. Praesens legislatio ad sequentia reducitur.

a) Licet Regulares pontificium habeant privilegium erigendi in suis ecclesiis sodalitates tertii Ordinis saecularis, attamen nequeunt id facere sine praevio consensu Ordinarii loci, et hoc ad ipsam validitatem erectionis requiritur. Can. 703, § 2. Consensus vero obtineri debet in scriptis, siquidem ad normam canonis 686, § 3. Praeterito iure haec ultima formalitas non requirebatur, bene tamen ipse consensus. Cfr. Piat, Tom. II, Pars IV, c. III, Q. 71. Vermeersch Tom. I, n. 537.

b) Singulas personas tertio Ordini adscribere Superiores propria auctoritate possunt. Can. 703, § 2.

c) Absque speciali Ordinarii loci licentia nequeunt Regulares concedere suis tertiariis usum particularium

vestium publice in sacris functionibus deferendarum. Can. 703. § 3.

d) Statuta tertiariorum, cum ab Apostolica Sede adprobata sint, non subiacent moderationi et correctioni Ordinariorum locorum. Can. 689. § 2.

e) Ordinarius loci visitationem Congregationum tertii Ordinis peragere potest, non tamen « quod at-« tinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritua-« lem associationis directionem spectant ». Can. 690. Idem etiam praeterito iure sanciebatur, ut videre est apud Piat Tom. II, p. IV, c. III, Q. 78.

Ius ergo visitationis limitatur ad ea quae ordinis sunt materialis. Unde si tertius Ordo habeat bona temporalia, haec licet ab eodem administrentur, tamen non independenter, sed uti can. 691. § 1, disponitur: « sub « auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administra-« tionis saltem quotannis reddere debet ad normam ca-non 1525 ». Norma autem huius canonis § 2, haec est: « Si ex peculiari iure aliis ad id designatis ratio red-« denda sit, (ut in praesenti casu est, siquidem etiam « ad Superiores regulares reddenda est ratio admini-« strationis), tunc etiam Ordinarius loci vel eius dele-« gatus cum his admittatur, ea lege ut aliter factae « liberationes ipsis administratoribus minime suffra-« gentur ».

f) Si tertius Ordo proprium habeat sacellum ex bonis propriis extructum, vel saltem ad cuius manutentionem proprio aere provideat, Ordinarius loci ius suum visitandi nihilominus semper exercere poterit ex eodem fundamento iuris, minime vero si sacellum vel altare ad

Regulares pertineat, tertiusque Ordo usum tantum retineat.

Attamen ipsum sacellum, licet in ecclesia Regularium erectum Ordinarius loci visitare poterit, ait recte cl. Ferreres *Institutiones canonicae,* Vol. I, n. 964, II, « quoad « administrationem et ceteras obligationes personales « quas confraternitas et confratres habeant, ut inde appareat utrum pecuniae et acceptae a fidelibus eleemo« synae rite in fines impendantur, ad quos ex statutis « destinatae sunt; v. gr., in ornatum et conservationem « capellae, in cultus augmentum, in promovenda devo« tione, etc... ».

« Visitatio autem, subdit idem auctor l. c. omnino « omittenda est, si confraternitas in ecclesia Regularium « instituta prorsus bonis careat, nec eleemosynas ad« mittat, nec quidquam administrationi suae commis« sum habeat ».

Item piae fundationes et onera Missarum, si quae tertio Ordini spectent, ab Ordinarii loci iurisdictione nequaquam subtrahuntur, licet eorum adimpletio in ecclesia regulari fiat. Haec omnia ex fundamento communi deducuntur et ex canonibus 344, 1545, 1546, etc...

g) Tandem ipsaemet oblationes factae tertio Ordini, si quae fuerint necnon eleemosynae collectae, ad quam collectam tamen Ordinarii loci requiritur consensus, cum bona fiant ipsius tertii Ordinis, cadunt sub lege supra allata, seu can. 691.

II.

De Confraternitatibus et piis unionibus.

A. *a*) Erectio Confraternitatis in ecclesiis Regularium dupliciter eveniri potest. Vel enim agitur α) de Confraternitate erga quam Regulares nullum habent privilegium speciale, et hoc in casu ad erectionem formale requiritur erectionis decretum ab Ordinario loci emanatum; vel β) agitur de Confraternitate ad quam erigendam Regulares speciale habent Apostolicum privilegium, et tunc opus est ex parte Ordinarii loci solo consensu scripto dato, praemisso, uti patet, regulari erectionis decreto Superioris regularis. Ita ex can. 708 et 686. § 3. Qua in re nihil mutatum est nostro iure a praescriptionibus vigentibus praeterita legislatione. Cfr. v. gr. Piat, Tom. II, P. VI, c. III, Q. 68; Vermeersch, Tom. I, n. 546.

b) Si vero Confraternitas, cuius erectio Regularibus reservatur in aliena ecclesia erigatur, liquet a fortiori easdem formalitates adimplendas esse.

c) Quando non agitur de Confraternitate proprie dicta seu stricto sensu, idest *per modum organici corporis existentis,* sed de pia unione seu sodalitate laxiori sensu constituta, quae, ut ait cl. Wernz, Tom. III, n. 704, solo *vinculo sociali* constituta invenitur, tunc iterum distinguendum est. Nam α) vel agitur de pia unione *propria Regularium* et tunc ex can. 686. § 3, consensus Ordinarii loci iam inclusus invenitur in ipsa concessione ab eodem facta Regularibus aperiendi novum monaste-

rium in sua dioecesi; vel β) agitur de pia unione non ipsis propria et tunc ex can. 708 sufficit Ordinarii loci approbatio, qua obtenta, iam ipsa pia unio, quamvis persona moralis non sit, capax tamen fit obtinendi gratias spirituales et praesertim indulgentias.

B. Confraternitates in ecclesiis Regularium erectae, dependent ab Ordinario loci sequentibus in casibus. *a*) Quoad earum statuta. Ipsa enim: « moderationi et « correctioni Ordinarii loci semper subiecta manent ». Can. 689. § 2. Excipe si eadem ab Apostolica Sede confirmata fuerint.

b) « Nisi speciale obstet privilegium, subsunt iu« risdictioni et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas « sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus ». Can. 690. § 1. Attamen: « quae vi privilegii Aposto« lici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae « sunt, Ordinariis locorum fas non est visitare quod at« tinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritua« lem associationis directionem spectant ». Can. 690. § 2. Idem iuris est pro confraternitatibus late sumptis seu piis unionibus quas Regulares in suis erigunt ecclesiis.

c) Bona quae Confraternitates piaeque Uniones possident et administrant subduntur auctoritati Ordinarii loci: « cui rationem administrationis reddere debent, ad « normam can. 1525 ». Can. 691. § 1. Vide supra de tertiariis.

d) Eleemosynas nequeunt colligere: « nisi id aut « statuta permittant, aut necessitas postulet, et loci Or« dinarii consensus accedat ac servetur forma ab eo-

« dem praescripta ». Can. 691. § 3. Item § 4: « Ad « eleemosynas extra territorium colligendas uniuscuius- « que Ordinarii venia, scripto data, requiritur ». Item § 5: « Oblationum quoque ac eleemosynarum fidelis « erogationis rationem associatio reddat Ordinario ».

e) Nominatio Cappellani et moderatoris, nisi privilegium Apostolicum aliud caveat, sequentibus regu'is regitur. α) Pro Confraternitatibus et piis unionibus erectis a Regularibus ex privilegio Apostolico extra proprias ecclesias, nominatio spectat ad Ordinarium loci, uti patet. β) Pro « erectis a religiosis in propriis ec- « lesiis requiritur tantum Ordinarii loci consensus, si a « Superiore moderator et cappellanus e clero seculari « eligantur ». Can. 698. § 1. Proinde nullus consensus requiritur si moderator et Cappellanus fuerint religiosi. γ) § 3 eiusdem Canonis statuit: « Moderatorem et cap- « pellanum revocare ex iusta causa possunt qui illos « nominaverunt eorumque successores vel Superiores ».

f) « Non licet vestem propriam seu insignia, quae « in publicis processionibus aliisque sacris functionibus « deferenda sint, assumere sine speciali Ordinarii loci « licentia ». Can. 713. § 2. Item ex can. 714 nequeunt proprium habitum vel insignia aut dimittere aut mutare absque eiusdem Ordinarii loci licentia.

g) Can. 715. § 1: « Comitiis confraternitatum, « etsi in Regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis, « per se vel per delegatum praeesse sine iure tamen « suffragii, dignos et idoneos officiales et ministros « electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere « aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede

« Apostolica approbata fuerint, corrigere et approbare, « pertinet ad loci Ordinarium ».

§ 2. « De comitiorum extraordinariorum celebra- « tione confraternitas Ordinarium loci eiusve delegatum « tempestive praemoneat, secus Ordinario ius est co- « mitia impediendi vel eorum decreta penitus infir- « mandi ».

h) Functiones non parochiales peragere possunt independenter a parocho, servatis servandis: « dum- « modo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia non « noceant »... « In dubio utrum functiones confraterni- « tatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio pa- « roeciali, ad Ordinarium loci spectat ius decidendi, « itemque statuendi practicas normas servandas ». Canon 716. §§ 1-3.

i) Confraternitas vel pia Unio ut transferatur de sua in aliam sedem oportet ut Ordinarii loci consensus habeatur et insuper: « quoties agitur de transfe- « renda confraternitate vel pia unione alicui religioni « reservata, Superioris consensus est requirendus ». Canon 719. §§ 1-2. Quare quoties agitur de Confraternitate vel pia Unione *non reservata,* licet erecta in ecclesia regulari, nequeunt Regulares Ordinarium loci prohibere ut alio ab eodem transferatur, si id ipsimet magis expedire visum fuerit.

j) De suppressione tandem Confraternitatis vel piae Unionis canon 699 decernit sequentia: § 1. « Ob gra- « ves causas et salvo iure recursus ad Apostolicam Se- « dem, potest loci Ordinarius supprimere non solum « associationem a se vel a decessoribus suis erectam,

« sed etiam associationem ex apostolico indulto a re-« ligiosis erectam de consensu Ordinarii loci ».

§ 2. « Associationes vero ab ipsa Apostolica Sede « erectae nonnisi ab eadem supprimi possunt ».

18. — De sacramento Confirmationis.

Can. 792. « Episcopo ius est intra fines suae dioe-« cesis confirmationem administrandi in locis quoque « exemptis ».

Quoties igitur Episcopus loci voluerit hoc sacramentum in eorum ecclesiis conferre, Regulares tenentur eum reverenter admittere.

Idem iuris erat in praeterita legislatione. Equidem cl. Piat refert, Tom. II, P. IV, c. III, Q. 84, quod multi docebant: « Episcopis prohibitum esse sacramen-« tum confirmationis in ecclesiis non paroecialibus Re-« gularium, ipsis invitis, conferre, quia ille actus mixtu-« ram iurisdictionis et officii episcopalis habet ».

« Sed, subdit cl. auctor, reiicienda est haec opinio. « Testatur enim Bened. XIV in C. Concilii, partibus « plenissime auditis, pro Episcopis decisam fuisse hanc « controversiam, quemadmodum, *addit,* et Nos genera-« liter et sine exceptione eandem definimus ».

19. — De sacerdotibus qui Missam celebrare voluerint in ecclesiis Regularium.

Can. 804. § 1. « Sacerdos extraneus ecclesiae in « qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc « validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit « saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae « Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orien- « talis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim « aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebra- « tione repelli debeat ».

§ 2. « Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de « eius probitate apprime constet, poterit admitti, si vero « rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, « dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex cele- « bratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, perci- « piat, et nomen, officium suamque dioecesim in pecu- « liari libro signet ».

§ 3. « Peculiares hac de re normae, salvis huius « canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servan- « dae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi « agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in « ecclesia suae religionis ».

Regulares igitur, non solum praescripta huius canonis, sed ulteriores quoque praescriptiones Ordinarii loci ubi monasterium eorum invenitur, si quae fuerint, observare tenentur, facta sola exceptione pro religiosis sui Ordinis. Verum, loci Ordinarius nequit tales prae-

scriptiones indicere quae praesentis canonis dispositionibus adversarentur, puta, si a Religiosis alias litteras exigeret quam propriorum Superiorum.

Praeterito iure, ex Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 16 de Refor. et Sess. XXII decret. de obser. et evit. in celebr. missae, fere eadem sanciebantur, nisi quod pro sacerdotibus regularibus *alterius Ordinis* norma definita non inveniebatur scripta sicuti hodie. Verum, ait cl. Vermeersch, Tom. I, n. 513: « Arbitramur nos e mente « Congregationis respondere, si talem fecerimus obno- « xium condicionibus quas Episcopus definierit. Ita e- « tiam Wernz, t. 3, p. 783 ». Quod nunc, nostro iuri conforme invenimus.

20. — De stipe Missarum.

Can. 831. § 1. « Ordinarii loci est manualium Mis- « sarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, « quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum; « nec sacerdoti licet ea maiorem exigere ».

§ 2. « Ubi desit Ordinarii decretum, servetur con- « suetudo dioecesis ».

§ 3. « Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem « manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut « dioecesis consuetudini ».

Ex ista tertia paragrapho igitur Regulares quoad stipem missarum aequiparantur sacerdotibus saecularibus et subiacent omnino praescriptionibus vigentibus in dioecesi ubi eorum monasterium extat.

Praeterito iure eadem regula sancita fuerat ex S. C. Conc. 15 ian. 1639, 16 ian. 1649, 16 iul. 1689, ut refert Bened. XIV, De Synodo, l. 5, c. 9, n. 2. Item 8 maii 1905 *in una Ord. Min. Conv.*

21. — De asservanda et dispensanda SS. Eucharistia.

I. Praeterito iure Regulares rectores suarum ecclesiarum qui peccaverint in praeceptum diligenter occludendi Tabernaculum et clavem custodiendi poterant puniri aeque ab Episcopo ac a Superiore suo regulari. Cfr. litt. enc. S. C. EE. et RR. 9 febr. 1751, apud Lucidi, *de visitatione,* l. I, c. I, n. 101; Benedictum XIV, *De Synodo,* l. 9, c. 15, n. 4. Ita ex cl. Vermeersch, Tom. I, n. 505.

Cum vero hodie in Codice nihil de hac re speciale sancitum inveniatur, recurrendum est ad legem generalem canonis 617 qua statuitur quod: « si in Regularium « aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve « ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus pro- « spicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur « rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi ».

Non amplius igitur Ordinarius loci potest aequo iure ac Superior regularis in hac re adversus Regulares procedere.

II. De dispensanda SS. Eucharistia.

Praeterito iure Regulares prohibebantur SS. Eucharistiam die Paschatis, et Romae etiam Feria V in Coena

Domini, fidelibus dispensare. Hodie vero cum talis prohibitio nullibi inveniatur in Codice, non amplius viget. Imo ex can. 846 necnon ex can. 867 cum omnibus omnino facultas fiat tum intra, tum extra Missam S. Communionem distribuendi, unica excepta Feria VI maioris hebdomadae, restrictionem praeteritae legislationis quoad Regulares abolitam iam esse, satis clare colligitur.

Romae tamen adhuc vigere prohibitionem pro Feria V in Coena Domini propter centenariam consuetudinem colligitur ex praescripto Emi. Card. Vicarii ipsam etiam post Codicis promulgationem urgente.

III. De praecepto paschali. Praeterito iure fideles non poterant huic praecepto satisfacere in ecclesia Regularium, ut omnes docebant. Cfr. v. gr. Vermeersch, Tom. I, n. 506. Verum, hodie hoc ius reformatum est canone 859. § 3, dicitur enim : « Suadendum fidelibus « ut huic praecepto (paschali) satisfaciant in sua quisque « paroecia, et qui in aliena paroecia, satisfecerint, cu« rent proprium parochum de adimpleto praecepto cer« tiorem facere ».

Equidem canon loquitur de « aliena paroecia », verum nulla apparet ratio ob quam fideles possint satisfacere praecepto paschali in aliena paroecia et nequaquam in ecclesia regulari.

IV. De SS. Eucharistia ad infirmos deferenda. *a*) Palam per vias et plateas SS. Eucharistiam deferre Regularibus non licet cum id uni competat parocho intra suum territorium. Sola cogente necessitate, aut de licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii loci Regulares possunt SS. Eucharistiam publice deferre. *b*) De dispen-

satione privata SS. Eucharistiae ad infirmos. Praeterito iure α) privatim deferre ad aegrotos SS. Communionem licebat tantum ubi introducta fuerat consuetudo. β) Ubi talis vigebat consuetudo « Regulares, praesertim si ipsis « suffragetur consuetudo, generali illo concesso compre« hendi videntur, nisi Episcopus eos excluserit ». Ita cl. Vermeersch, Tom. I, n. 508.

Utraque restrictio hodie ex novo iure evanuit. Statuitur enim can. 849. § 1. « Communionem privatim ad in« firmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia sal« tem praesumpta sacerdotis, cui custodia sanctissimi « Sacramenti commissa est ». Requiritur tamen semper causa aliqua rationabilis ut sacra communio privatim infirmis deferatur, siquidem in canone 847 expresse disponitur quod « nisi iusta et rationabilis causa aliud « suadeat », sacra communio publice ad infirmos deferatur. Notandum etiam quod in § 2, can. 849 disponitur ut quando sacra communio privatim defertur, id fieri debeat « servatis a Sede Apostolica praescriptis « normis ». Praescriptae porro normae sunt ritus a Benedicto XIV propositus: « Sacerdos stolam semper habeat « propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa « pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam « in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno « saltem fideli, in defectu clerici, associetur ».

V. De SS. Eucharistia per modum Viatici.

Can. 850. « Sacram communionem per modum Via« tici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, per« tinet ad parochum ad normam can. 848, salvo prae« scripto can. 397, n. 3 et can. 514 ». Praescripta horum

canonum agunt de specialibus categoriis personarum. In genere igitur Regularibus interdicitur deferre s. Viaticum infirmis non suis, praeter casum necessitatis. Tunc enim praevaleret ius infirmi recipiendi ultima sacramenta.

Verba canonis « per modum Viatici » hic stricte sumenda sunt, idest de sacra communione quae ab infirmo *sub praecepto* sumenda est, uti dicitur in § 1, can. 864; non vero de ulteriori sacra communione, quam per Viaticum infirmus licet et decet ut recipiat, perdurante sua infirmitate, secundum prudentis confessarii consilium, uti disponitur in eodem canone, § 3.

22. — De Sacramento Poenitentiae.

I.

De Iurisdictione.

A. Quamvis, praeterita legislatione, quidam auctores autumarunt, ut ait cl. Piat, Tom. II, P. V, c. II, Q. 225, iurisdictionem ad audiendas confessiones Regularibus conferri a solo Episcopo, plerique tamen auctores aperte contrarium docuere, sustinentes Regularibus iurisdictionem pro confessionibus audiendis duplici ex fonte provenire, immediate scilicet a Romano Pontifice et aliquando, sed non necessario, ab Episcopo. Id aperte colligebatur ex pluribus SS. Pontificum Constitutionibus in quibus Regularibus fiebat facultas audiendi confessiones auctoritate Apostolica, et inhibebatur ne quis eos in exercitio vel executione istius officii auderet quomo-

dolibet impedire. Sic v. gr. Const. *Quoniam* Greg. IX; Const. *Ad fructus uberes* Martini IV; Const. *Regularem vitam* Eugenii IV; Const. *Ex clementi* Pauli IV, etc... Id melius dicatur concessum fuisse directe ad *Ordines Mendicantes*. Porro hanc doctrinam veluti certam ab omnibus fere canonistis et moralistis etiam post Conc. Tridentinum, expositam et defensam invenimus. Equidem Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 25, *De Ref.* sancivit ne ullus sacerdos regularis confessiones saecularium valide posset audire, nisi parochiale beneficium habuerit, vel ab Episcopo loci, ubi iurisdictio exercetur, fuerit approbatus; sed per huiusmodi prohibitionem nequaquam sublata fuit iurisdictio pontificia *delegata* Regularibus. Cl. Vermeersch, Tom. I, n. 516 ita rem clare exponit: « Ut plene ergo sint (Regulares) habiles, hoc unum de« sideratur, ut Episcopi referant *approbationem*. Haec, « praeter iudicium de capacitate, dicit consensum in iu« risdictionis usum ».

« Nihilominus usus fert ut Episcopus approbando, « simul, quantum est ex se, deleget etiam iurisdictio« nem: ita ut hanc plerique Regulares e duplici fonte « hauriant, saepe tamen aliis et aliis finibus circum« scriptam ».

B. Hodie vero, ex novo iure, ad audiendas saecularium confessiones, imo et religiosorum alterius Ordinis, Regulares indigent iurisdictione delegata Ordinarii loci ubi confessiones audiuntur. Ita enim sancitur canone 874. § 4: « Iurisdictionem delegatam ad recipien« das confessiones quorumlibet sive saecularium sive « religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus

« tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo « confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi « eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui « Superioris, firmo praescripto can. 519 ».

Modus conferendi iurisdictionem Regularibus ab Ordinario loci habitualiter fieri debet per praesentationem religiosi a proprio Superiore regulari; Ordinarius vero absque gravi causa nequit eamdem denegare. Ita ex can. 874. § 2, sequentis tenoris: « Locorum Ordinarii « iurisdictionem ad audiendas Confessiones habitualiter « ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non « praesententur; iis vero qui a proprio Superiore prae- « sentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo « tamen praescripto can. 877 ». De quo praescripto mox.

Eadem fere erat disciplina in praeterita legislatione, siquidem S. C. C. die 7 Iunii 1755 ad dubium XIII: « An Regulares teneantur pro obtinenda facultate au- « diendi confessiones, sive saecularium, sive Monialium, « se personaliter coram Episcopo praesentare, sive po- « tius sufficiat a Superioribus de sufficientia et idoneitate « testimonium transmitti ? ». S. Congr. respondit: « Ad « XIII. Affirmative ad primam partem; Negative ad « secundam ». Haec tamen praesentatio personalis non amplius necessaria videtur, cum canon requirat tantum ut Superior religiosum praesentet quod utique et per epistolam fieri potest.

II.

De examine subeundo.

Can. 877. § 1. « Tum locorum Ordinarii iurisdi« ctionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut « licentiam audiendarum confessionem ne concedant, nisi « iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur « de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde « compertam habeant ».

§ 2. « Si post concessam iurisdictionem aut licen« tiam prudenter dubitent num probatus a se antea sa« cerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum « doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho « aut canonico poenitentiario ».

In qua re ius nostrum non differt a praeterita legislatione. Conc. enim Trid. Sess. XXIII, c. 15 *De Ref.* idem statuerat: « Decernit Sancta Synodus nullum etiam « Regularem posse confessiones saecularium, etiam sa« cerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut « parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, « si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus « iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obti« neat; privilegiis et consuetudine quacumque etiam « immemorabili non obstantibus ».

« Equidem, ait cl. Piat, Tom. II, Q. 237, S. Pius « ab hoc examine graduatos, lectoresque Regulares, ac « monialium confessarios exemerat (Const. *Etsi mendi« cantium*), paulo post tamen redintegravit Trid. De« cretum etiam quoad lectores ac magistros, necnon

« graduatos (Const. *Romani Pontificis*). Quam Const. « Gregorius XIII quoad hoc punctum confirmavit (Const. « *In tanta*).

« Omnia vero privilegia Trid. Concilio adversantia « Urbanus VIII revocavit (Const. *Cum sicut accepimus*); « quod firmarunt ipsius successores ».

III.

De revocatione iurisdictionis.

a) Can. 880. § 1. « Loci Ordinarius vel Superior « religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas « confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem « ob causam ». Ratio huius canonis manifesta est. Sed notandum quod Superior regularis potest habere talem gravem rationem quin ea Ordinario loci comperta fuerit. Quo in casu, regularis qui confessiones saecularium audierit contra Superioris sui voluntatem, illicite procul dubio ageret, valide tamen absolvit cum iurisdictio eidem ab Ordinario loci concessa minime revocata fuerit.

b) In § 3 eiusdem canonis limitatio quaedam quoad iurisdictionis revocationem statuitur: « Non ta- « men, dicitur, licet Episcopo, inconsulta Sede Apo- « stolica, si de domo formata agatur, omnibus religiosae « domus confessariis una simul iurisdictionem adimere ».

Limitatio cum respiciat solas domos formatas, idest ubi de familia degunt quattuor saltem sacerdotes, manifestum est posse Ordinarium loci revocare iurisdictionem omnibus confessariis Regularibus domus non-formatae, puta si in ea tres degant sacerdotes. Si vero

Episcopus contra praescriptum iuris una simul revocaret iurisdictionem omnibus religiosis domus formatae, illicite certe ageret, sed valide quidem. Unde Regulares tenentur omnino obedire, salvo iure appellationis in devolutivo.

Cum vero in lege dicatur expresse: « *una simul* »; Ordinarius loci posset unum post alium, intermisso quoddam temporis intervallo, si graves omnino in omnes religiosos habeat rationes, iurisdictione privare. Tunc enim datur Superioribus religiosis tempus providendi evitandique scandalum quod sane ex simultanea revocatione iurisdictionis in populo christiano eveniret.

Idem iuris erat in praeterita legislatione. Cl. Vermeersch, Tom. I, n. 516 sic ad rem: « Non potest « Episcopus *licite,* inconsulta S. Sede, *suspendere* a « confessionibus audiendis omnes unius domus Regu- « lares. C. *Superna* et Decreta S. C. EE. RR. 28 nov. « 1732 (Bizzarri p. 361 sqq.). Id tamen Episcopis In- « diae, Brevi *Cum sicut accepimus* permisit Innocen- « tius X, ob magnam qua ab Urbe separantur distan- « tiam ».

Nota tamen quod, cum in isto iure non fiat distinctio inter domum formatam et non formatam, Ordinarius loci prohibebatur auferre iurisdictionem una simul omnibus Regularibus domus etiam parvae, quod utique hodie potest.

« Ius auferendi approbationem confessario regulari approbato *ad beneplacitum,* vel eandem tollendi *ante tempus* litteris definitum, est Episcopi *ius personale,*

« quod exerceri nequit a *Vicario Capitulari.* (Cfr. resp. « S. C. EE. et RR· 19 iun. 1806, apud Bizzarri p. 451 « sqq.) » Ita cl. Vermeersch l. c.

IV.

De limitatione iurisdictionis.

Can. 878. § 1. « Iurisdictio delegata aut licentia « audiendarum confessionum concedi potest certis qui- « busdam circumscripta finibus ».

§ 2. « Caveant tamen locorum Ordinarii ac reli- « giosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine « rationabili causa coarctent ».

Limitatio haec respicere potest. α) *Personas,* ut si confessarius approbetur tantum pro audiendis confessionibus virorum quod plerumque fit pro confessariis iunioribus. β) *Locum,* ut si facultas concedatur solum pro audiendis confessionibus in ipsa ecclesia Regularium, vel pro uno oppido. γ) *Tempus,* ut plerumque ubique fit, scilicet per annum vel triennium. δ) *Materia* ipsa confessionis, quatenus conceditur vel non facultas absolvendi a casibus reservatis.

Easdem limitationes etiam in praeterita legislatione Ordinarius loci in approbandis Regularibus apponere poterat, verum, ait cl. Vermeersch id non ex iure scripto, « sed ex consuetudine, cui non repugnat S. Sedes ». Tom. I, n. 516.

V.

De confessario religiosarum.

Can. 876. § 1. « Revocata qualibet contraria par« ticulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares « tum religiosi, cuiuslibet gradus aut officii, ad confes« siones quarumcumque religiosarum ac novitiarum va« lide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indi« gent, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1, 522, 523 ».

§ 2. « Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, « ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525 ».

a) Specialis ista iurisdictio requiritur pro confessario ordinario vel extraordinario, nam si quae religiosa adeat quamcumque ecclesiam sive oratorium publicum, confessarius quilibet, modo approbatus fuerit pro audiendis confessionibus mulierum, potest valide et licite eam absolvere, ut can. 522 definitur. Idem dicendum etiam pro religiosa graviter aegrotante ut dicitur canone 523.

b) Praeterita legislatione eadem specialis approbatio requirebatur ex declaratione S. C. Conc. 22 Sept. 1742, eademque praescripta vigebant. Cfr. Vermeersch, Tom. I, n. 472, Piat, Tom. I, P. IV, c. I, Q. 594.

Pro religiosis tamen mulieribus votorum simplicium, ius non ita formaliter ac pro monialibus decernebat. Attamen in Const. *Conditae a Christo* dicitur observanda Constitutio Bened. XIV *Pastoralis curae,* in qua Pontifex desiderium saltem exprimebat, ut omnia quae pro monialibus statuebantur ac praescribebantur, Epi-

scopi observassent etiam *in omnibus omnino mulierum Institutis*. Cfr. Piat, Tom. I, P. IV, c. I, Q. 611. Quare, observat cl. Vermeersch, Tom. I, n. 477 : « Sororibus « quae vitam ducunt communem satis solent Episcopi « regimen monialium imponere, ita ut nemo valide ex« cipiat confessiones sororum nisi specialiter ad id ap« probatus, sorores vero stringantur regula unius con« fessarii ordinarii ».

c) Pro monialibus vel sororibus subiectis praelatis Regularibus sequens regula statuitur observanda canone 525 : « Si religiosarum domus Sedi Apostolicae « immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit « sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra« ordinarios; *si Superiori regulari, hic confessarios Or« dinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis il« larum monialium confessionibus approbare* et Supe« rioris negligentiam, si opus sit, supplere ».

Idem iuris erat praeterita legislatione. Cfr. Vermeersch, Tom. I, n. 472.

d) In praeterita legislatione, ex S. C. EE. et RR. 16 Maii 1653, Regularis nequibat eligi in confessarium ordinarium monialium idemque iuris erat pro sororibus votorum simplicium ex eadem S. C. EE. et RR. in una S. Christoph. de Habana 1 Sept. 1905. Pro monialibus tamen quae subiectae erant praelatis Regularibus talis restrictio non vigebat, sed, e contra, extraordinarius designari nequibat nisi vel saecularis vel alterius Ordinis regularis. Verum S. Congr. Regul. suo decreto 3 Febr. 1913 hanc limitationem quoad confessarios tum ordinarios tum extraordinarios iam sustulerat; quam liber-

tatem in nostro iure sancitam invenimus canone 524, § 1: « In munus confessarii religiosarum et ordinarii « et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero « saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia... ».

23. — De benedictione papali.

Plerique Ordines Regulares facultatem habent impertiendi aliquoties in anno papalem benedictionem in suis ecclesiis sodalibus tertii Ordinis seu etiam confraternitatum.

In praeterita legislatione talis facultas quibusdam praescriptionibus limitibusque subiecta erat, scilicet: *a*) Tenebantur Regulares uti formula imposita iam in litt. Apostolicis *Exemplis decessorum* 19 Martii 1748, Benedicti XIV; *b*) nequibant eam impertire eadem die et eodem loco ubi Episcopus ipsam impertiebat. Ex Brevi Leonis XII, *Quo universi,* 7 Iulii 1822. Cfr. Ojetti, verbum *Benedictiones.*

Hodie, in novo iure, eaedem praescriptiones confirmantur, nam dicitur in can. 915: « Regulares, qui pri« vilegium habent impertiendi benedictionem papalem, « non solum obligatione tenentur servandi formulam « praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in « suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum « suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem « die et loco quo Episcopus eam impertit ».

24. — De indulgentiis.

Can. 919. § 1. « Novae indulgentiae, ecclesiis etiam « regularium concessae, quae Romae promulgatae non « sint, ne promulgentur, inconsulto Ordinario loci ».

§ 2. « In edendis libris, libellis, etc., quibus con« cessiones indulgentiarum pro variis precibus aut piis « operibus recensentur, servetur praescriptum can. 1388 ».

Praescriptum can. 1388 exigit praeviam Ordinarii loci licentiam, quam ergo et Regulares obtinere tenentur.

Idem iuris erat praeterita legislatione ex Decreto Conc. Trid. Sess. XXI, c. 9. *De Ref.*, quod decretum tridentinum ex declarationibus S. C. Conc. Iunii 1605; 10 Nov. 1640; 22 Iulii 1624, etc.... etiam a Regularibus observandum erat.

25. — De Extrema Unctione.

Ex can. 938. § 2 interdicitur Regularibus administrare infirmis extraneis seu qui non fuerint decumbentes, saltem ratione infirmae valetudinis, in monasterio, Extremae Unctionis sacramentum *a*) extra necessitatis casum; vel *b*) absque licentia, saltem *rationabiliter praesumpta* parochi aut Ordinarii loci.

Diximus qui non fuerint decumbentes saltem ratione

infirmae valetudinis in monasterio, nam can. 514. § 1 tribuit Regularibus ius et officium administrandi Extremam Unctionem non tantum religiosis ipsis, sed etiam iis qui ratione hospitii vel infirmitatis in eodem versantur monasterio.

Tenor can. 938. § 2 sequens est: « Salvo praescripto « can. 397. n. 3 (qui agit de cardinalibus), et 514. (de « Regularibus), minister ordinarius (sc. Extremae Un- « ctionis) est parochus loci, in quo degit infirmus; in « casu autem necessitatis, vel de licentia saltem ratio- « nabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii « loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum mini- « strare poterit ».

Igitur ut Regularis possit Extremam Unctionem extra necessitatis casum ministrare, sufficit ut rationabiliter praesumere possit licentiam etiam solius Ordinarii loci, quod bene est attendendum, siquidem dari potest casus in quo parochus sit quidem invitus, sed irrationabiliter.

Eadem ferme erat praeterita legislatio, nisi quod excommunicatio simpliciter Papae reservata, ex Const. *Apostolicae Sedis,* sanciebatur in Regulares hoc sacramentum indebite conferentes. Quae censura, cum nullibi in Codice recenseatur, abolita est.

26. — De Sacramento Ordinis.

I.

De potestate ordinandi.

a) Can. 964. n. 1. « Abbas regularis de regimine, « etsi sine territorio *nullius*, potest conferre primam ton- « suram et ordines minores, dummodo promovendus sit « ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero « sit presbyter et benedictionem abbatialem acceperit. « Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revoca- « to quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi or- « dinans charactere episcopali polleat ».

In conferendis igitur prima tonsura et ordinibus minoribus suis subditis in tantum Abbates regulares de regimine ab Episcopo loci dependent, quatenus nempe prius debent ipsimet ab eodem benedictionem abbatialem accipere.

Iam Conc. Trid. Sess. XXIII *De Ref.* revocando Abbatibus saecularibus et regularibus privilegia quoad ordinationes, servaverat tamen privilegium quoad Abbates regulares, coarctatum iisdem fere limitibus ac nunc a Codice praescribitur. Quaedam nihilominus differentia inter utrumque ius invenitur et quidem non minoris momenti. Ex declaratione enim S. C. Conc. 14 Maii 1689, Abbas regularis qui ordines minores extra limites sibi a iure positos contulisset, *illicite* quidem, sed *valide* egis-

set. Postulabatur enim 1°: Utrum *valide* ab Abbate collati fuerint Ordines alicui oblato? et 2°: Utrum *licite?* Ad 1um S. Cong. respondit: « *affirmative;* ad 2um *ne-* « *gative,* quia non habuit illum pro subdito regulari, « cum non professus fuerit tribus votis solemnibus, et « Concilium praeservavit facultatem ordinandi ad sub- « ditos regulares ». Quae sententia confirmata fuit a S. C. EE. et RR. 9 Ian. 1895.

E contra, novo nostro iure talis ordinatio non solum illicita sed etiam: « revocato quolibet privilegio est « irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat ».

b) Quamvis in citata declaratione requirebantur vota solemnia, attamen, post praescriptum Pii IX de praemittenda professione triennali votorum simplicium ante professionem votorum solemnium, vota simplicia sufficiebant ad licitam ordinationem, cum hoc modo emittens talia vota vere fiebat subditus sui Abbatis. « Id « coeteroquin, ait cl. Piat, Tom. II, P. V, c. I, Q. 212, « n. 23, sequebatur ex declaratione a S. C. EE. et RR. « 12 Iunii 1858 emanata, et ex alia eiusdem Congre- « gationis declaratione 20 Ian. 1860 ad postulata Archiep. « Mexicani data. Et ita docent praestantiores C. *Apo-* « *stolicae Sedis* commentatores ».

Hodie rem solemniter confirmatam invenimus in Codice, cum in citato can. 964 dicatur: « subditus vi pro- « fessionis saltem simplicis ».

c) Abbates autem *nullius,* praeterito iure, non solum nequibant ordinare *suos subditos saeculares,* sed neque poterant eisdem litteras dimissorias concedere ut ab alieno Episcopo ordinarentur, cum huiusmodi po-

testas ad Episcopum viciniorem pertinebat. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII, c. 10, *De Ref.* et S. Congr. Conc. die 7 Aug. 1649; 26 Ian. 1709; 21 Ian. 1719; 12 Sept. 1874, etc.... Unde licet ipsi fuerint charactere episcopali insigniti, nequibant ordines quoslibet suis subditis saecularibus conferre vel etiam litteras dimissorias concedere, sed totum negotium ad Episcopum viciniorem pertinebat.

In Codice hodie talis legislatio omnino mutata est. Siquidem in can. 957 dicitur: § 1. « Abbas vel Prae« latus *nullius*, si charactere episcopali polleant, Epi« scopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad or« dinationem ».

§ 2. « Si episcopali charactere careant, possunt ni« hilominus in proprio territorio et durante tantum mu« nere, conferre primam tonsuram et ordines minores « tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, « tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhi« bent; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta ir« rita est ».

II.

De Regularibus ordinandis.

a) Pro ordinatione Regularium datur norma generalis can. 964. n. 2: « Religiosi exempti a nullo Epi« scopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis « proprii Superioris maioris ».

Eadem dispositio praeterita legislatione vigebat, uti

ex Conc. Trid. Sess. XXII, c. 8, *De Ref.* expresse sancitum fuerat.

b) Pro ordinibus minoribus primaque tonsura sufficit professio votorum simplicium. Dicitur enim can. 964. n. 3: « Superiores professis votorum simplicium, de qui- « bus in can. 574 (qui agit de votis simplicibus trien- « nalibus emittendis ante solemnem professionem), lit- « teras dimissorias concedere possunt duntaxat ad pri- « mam tonsuram et ordines minores ».

In praeterita legislatione quaestio erat utrum Superiores poterant concedere novitiis suae religionis has litteras dimissorias. Cl. Vermeersch, Tom. I, n. 193 scribebat quod: « novitii Ordinis Regularis, ut verisi- « mile est, ordinari possunt ab Episcopo loci ubi pro- « bantur ». Verum, contrarium etiam antiquo iure fuisse tenendum probabilius est. Ex declaratione enim S. C. C. 14 Maii 1689, quam supra exposuimus, ordinatio facta ab Abbate regulari in personam cuiusdam suae religionis oblati dicebatur valida quidem sed illicita: *cum non professus fuerit.* Ergo a pari ceteri Superiores nequibant *licite* litteras dimissorias novitio dare.

c) Can. 965. « Episcopus ad quem Superior reli- « giosus litteras dimissorias mittere debet, est Episco- « pus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius « familiam pertinet ordinandus ».

Idem iuris erat in praeterita legislatione. Ex Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 11, *De Ref.* quisquis ordinandus erat a proprio Episcopo, non obstante quolibet privilegio. Nihilominus, ait cl. Piat, Tom. II, P. V, c. II, Q. 350: « aliqui auctores docuerunt Regulares posse a

« quovis Episcopo ordinari, quia S. Pius V declaravit « hoc caput Tridentinum in Regularibus locum non ha- « bere ». Verum, anno 1573 Greg. XIII approbavit decretum S. C. C. statuens Regulares posse tantum licite ordinari ab Episcopo dioecesis ubi situm erat monasterium, idemque Sixtus V confirmavit: Tandem Clemens VIII die 15 Martii 1596 hanc declarationem solemniter promulgavit. Cfr. Piat, l. c.

d) Can. 966. § 1. « Tunc tantum Superior religiosus « ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere po- « test, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut « sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordina- « tionem habiturus proximo legitimo tempore ad nor- « mam can. 1006. § 2, vel denique cum dioecesis vacet « nec eam regat qui charactere episcopali polleat ».

§ 2. « Necesse est ut singulis in casibus id constet « ex authentico Curiae episcopalis testimonio ».

In praeterita legislatione idem iuris erat, sed non ita accurate casus omnes qui in praesenti iure recensentur uti rationes ob quas Regulares possunt suos ad quoscumque Episcopos mittere pro Ordinibus suscipiendis, recensebantur.

Canonistae quaerebant utrum si Episcopus ordinationes habuisset in angulo remoto suae dioeceseos, Regulares liberarentur ab obligatione mittendi suos ordinandos ad ipsum. Sed S. C. C. 11 Febr. 1703, declaravit etiam hoc in casu Regulares teneri, licet cum suo incommodo, stare mandatis Episcopi. Quod tenendum esse etiam in praesenti nostra legislatione, censemus.

Item fiebat disputatio utrum, si Episcopus recusas-

set iniuste ordinare Regularem aut licentiam concedere, possent Superiores suos ad alienum Episcopum mittere. Et S. C. C. die 29 Aprilis 1604 declaravit non posse, sed recurrendum in casu per appellationem ad legitimum Superiorem. Quod hodie item tenendum est.

De casu Sedis vacantis Codex noster statuit quod si eamdem regens, charactere episcopali polleat, Regulares ab ipso ordinandi sunt, non secus ac si Sedes foret plena. Frustra hanc dispositionem in praeterita legislatione sancitam quis quaereret. Decreto enim Clementis VIII die 15 Martii 1596, statuenti Regulares potuisse suos ordinandos ad alienum Episcopum mittere, ubi Episcopus dioecesanus abesset aut ordinationes non foret habiturus, S. C. C. die 20 Iulii 1675 interiecerat tantum verba: « aut Sedes vacaret ». Nil amplius hac in re provisum fuerat.

Can. 967. « Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes ».

Res quae hodie per praesentem canonem resoluta omnino est, non ita clare constabat praeterito iure. Cl. Piat, Tom. II, P. V, c. II, Q. 537 ita quaesitum accurate exponebat: « An possit Superior subditum ex « industria in alio conventu et dioecesi collocare, ut ibi « ordinetur, et postea illum ordinatum in priori conventu recollocare? R. Nonnulli affirmant: quia nulla « hic fraus intervenit, nullius ius violatur, et Decretum

« Clementinum, quod stricte interpretandum est, id non « prohibet ».

« Communis tamen sententia negat: quia eiusmodi « actio esset delusoria legis, quod a iure prohibetur ».

« S. C. Concilii, cui propositum est dubium, 8 Aug. « 1692, respondit: *Providebitur in casibus particularibus* « *proponendis*.

« Sententiam autem communem confirmant sequentia « Bullae Benedicti XIV verba: *Episcoporum autem ces-* « *sabunt querelae, quod Superiores Regulares, ad elu-* « *dendam Decreti Clementis observantiam, advenientibus* « *ordinationum temporibus, subditos suos domicilio mo-* « *veant; eosque statim post susceptos ordines falsis de* « *causis ad pristinum monasterium reverti iubeant; si-* « *quidem Regulares huiusmodi agendi rationem (quam* « *et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et* « *in posterum districte coercendam fore noverint), tum* « *a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam de-* « *bitae erga sacros ecclesiarum Antistites observantiae* « *contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent* ».

e) De his quae litterae dimissoriae datae a Superiore religioso continere debent.

Can. 995. § 1. « Etiam Superior religiosus suis lit- « teris dimissoriis non solum testari debet promoven- « dum professionem religiosam emisisse et esse de fa- « milia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de « studiis peractis deque aliis iure requisitis ».

§ 2. « Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis « testimonialibus litteris non indiget ».

Antiquo iure litterae dimissoriae non ita completae

requirebantur, sed, ait cl. Vermeersch, Tom. I, n. 480: « Regulares ordinandi litteras dimissorias proprii Su- « perioris regularis afferre debent, quibus is testatur « nihil ordinationi obesse ». Verum, iam S. C. EE. et RR. in decreto *Auctis admodum*, 4 Nov. 1892, articulo sexto, decreverat, religiosos ordinandos exhibere Ordinariis locorum debuisse, praeter alia a iure statuta, litteras etiam testimoniales de studiis legitime peractis.

Ut clarius appareat quid, hodierno iure, Superiores regulares in suis litteris dimissoriis exprimere tenentur, singula requisita enumeramus: α) Candidatum esse professum, vel simplici vel solemni professione, prout agitur de conferendis Ordinibus minoribus aut maioribus. β) Testari tenetur integritatem moralem candidati. γ) Ipsum esse de familia collocatum in monasterio quod infra limites dioeceseos ordinantis invenitur. δ) Competentia studia peracta. ε) Candidatum rite vacâsse spiritualibus exercitiis, secundum praescripta can. 1001. § 4.

f) De examine subeundo.

Can. 996. § 1. « Quilibet promovendus sive saecu- « laris sive religiosus debet praevium ac diligens exa- « men subire circa ipsum ordinem suscipiendum ».

§ 2. « Promovendi vero ad sacros ordines in aliis « quoque de sacra theologia tractationibus periculum « faciant ».

§ 3. « Episcoporum est statuere qua methodo, co- « ram quibus examinatoribus et quibus in tractationibus « sacrae theologiae promovendi periculum facere de- « beant ».

Pro conferendis igitur prima tonsura et ordinibus

minoribus Episcopus nequit requirere ab ordinandis aliud examen praeter illud quod circa ipsum ordinem suscipiendum versatur. Ipsius e contra est statuere et materiam theologicam et formam quibus ordinandi in sacris sese subiicere debent. Cum tamen materia circa quam examen versari debeat, expresse in canone restringatur ad tractatus sacrae theologiae, Episcopus ultra potestatem sibi a lege concessam ageret requirendo formale examen totius theologiae cum materiis subsidiariis, puta Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum etc....

g) De tempore ordinationis relate ad studia peragenda.

Can. 976. § 1. « Nemo sive saecularis sive religiosus « ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cur« sum theologicum ».

§ 2. « Firmo praescripto can. 975 (de aetate), sub« diaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus « theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; « presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti « anni... ».

§ 3. « Cursus theologicus peractus esse debet non « privatim, sed in scholis ad id institutis secundum ra« tionem can. 1365 determinatam ».

Superior regularis quoties suos subditos Episcopo praesentat pro ordinationibus tenetur eumdem de adimpletione harum omnium praescriptionum certiorem reddere; Episcopus vero id exigere potest imo et debet.

h) Coram quo examen pro ordinationibus fieri debeat.

Can. 997. § 1. « Hoc examen sive pro clericis saecu-

« laribus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui « iure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui « tamen potest quoque, ex iusta causa, illud Episcopo « ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit ».

§ 2. « Episcopus alienum subditum sive saecularem « sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimis- « soriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse « ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic « attestationi acquiescere, sed non tenetur; et si pro « sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, « eum ne promoveat ».

Regulares ordinandi pendent igitur, quoad examen subeundum, totaliter ab Ordinario loci. Et casu quo ipsemet nequeat eos ordinare, nihilominus ipsi tenentur periculum coram examinatoribus ab eodem destinatis sustinere. Neque per hoc a novo examine subeundo sese exemptos censeri poterunt, si Episcopus ordinans ipsos novo periculo subiicere velit. Alia ex parte, nil prohibet Episcopum ut in examinatores ipsos seligat Superiores regulares.

Praeterito iure legislatio de examine Regularium pro ordinibus suscipiendis varias habuit vicissitudines. α) Ante Conc. Trid. Regulares fere universaliter privilegium obtinuerant quo eximebantur a subeundo examine coram Episcopo. β) Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 12, *De Ref.* statuerat quod: « Regulares quoque nec in minori ae- « tate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: « privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus exclu- « sis ». Idemque confirmaverat Clemens VIII die 15 Martii 1596. γ) Verum, circa quam materiam examen ver-

sari debebat? Equidem circa ea omnia quae ad ordinem suscipiendum pertinebant. Ast poteratne Episcopus exigere praeterea examen quoque theologicum uti hodie? In epistola 18 Martii 1684 ad Internuntium Belgii directa, S. Congr. Concilii ipsi commiserat, ut sese opponeret praetentioni Episcoporum qui nolebant Regulares ordinare, nisi ipsi per biennium saltem S. Theologiae vacassent, eamque praetentionem pro viribus eliminare conaretur. Unde videtur mentem fuisse S. Sedis Regulares non potuisse subiici ab Episcopo examini theologico proprie dicto. Et: « ita quidem olim vigebat » ait cl. Piat, Tom. II, P. V, c. II, Q. 364; « ast im-« mutatum fuit Decreto S. C. EE. et RR. 4 Nov. 1892 ».

δ) Et re quidem vera, hoc Decr. « Auctis admodum » S. C. sequentia statuerat: « Professi tum votorum so-« lemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad « Sacros Ordines non admittantur, nisi praeter alia a « iure statuta, exhibeant, quod saltem per annum sa-« crae theologiae operam dederint, si agatur de subdia-« conatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et « quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso « tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

i) De aliis formalitatibus adimplendis a Regularibus ordinandis.

α) Can. 992 exigit ut: « Religiosi ad ordines pro-« movendi per se ipsi vel per alios Episcopo aliive qui « Episcopi hac in re vices gerat, suum propositum ante « ordinationem opportuno tempore aperiant ».

β) Can. 993. « Promovendi saeculares aut religiosi

« qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure « reguntur, afferant:

« 1° Testimonium ultimae ordinationis aut, si de « prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confir- « mationis;

« 2° Testimonium de peractis studiis, pro singulis « ordinibus, ad normam can. 976, requisitis;

« 3° Testimonium rectoris Seminarii aut sacerdotis « cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, « de bonis eiusdem candidati moribus;

« 4° Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo pro- « movendus tantum temporis moratus est ut canonicum « impedimentum contrahere ibi potuerit;

« 5° Testimoniales Superioris maioris religiosi, si « cui religioni promovendus adscriptus sit ».

Quae omnia Superiores regulares testari queunt in ipsis litteris dimissoriis, siquidem in § 2, can. 995 dicitur: « Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis « testimonialibus litteris non indiget ».

j) De notificanda ordinatione. Ultima praescriptio quam noviter Codex in ordinatione Regularium invexit, est obligatio eisdem facta notificandi ordinationes sacras peractas suorum alumnorum parocho baptismi eorumdem. Continetur canone 1011 sequentis tenoris: « Prae- « terea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero « saeculari, aut Superior maior, si de religiosis ordi- « natis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae « ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad « parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizato- « rum libro ad normam can. 470. § 2 ».

27. — De locis sacris.

A. Can. 1155. § 1. « Consecratio alicuius loci quam- « quam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordina- « rium territorii in quo locus ipse reperitur, dum- « modo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus, « non tamen ad Vicarium Generalem sine speciali man- « dato, firmo iure S. R. E. Cardinalium consecrandi « ecclesiam et altaria sui tituli ».

§ 2. « Ordinarius territorii, licet charactere episco- « pali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo li- « centiam dare consecrationes peragendi in suo terri- « torio ».

Can. 1156. « Ius benedicendi locum sacrum, si hic « pertineat ad clerum saecularem vel religionem non « exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarinm « territorii in quo locus reperitur; si ad religionem cle- « ricalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque « vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare ».

Can. 1157. « Non obstante quolibet privilegio, nemo « potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine « Ordinarii consensu ».

Can. 1158. « De peracta consecratione vel benedi- « ctione redigatur documentum, cuius alterum exem- « plar in Curia episcopoli, alterum in ecclesiae archivo « servetur ».

Loca sacra sunt vel ecclesiae, vel Oratoria, vel coemeteria.

Regulares ergo, uti patet ex supradictis canonibus,

quoad sua loca sacra vario modo pendent ab Ordinario loci in cuius territorio eadem inveniuntur. *a*) Si agatur de consecratione, eadem reservatur loci Ordinario. Nullus igitur Superior regularis, licet episcopali charactere insignitus, eadem potest consecrare absque expressa delegatione Ordinarii loci. *b*) Ipsius Ordinarii loci est concedere licentiam ut locus sacer ad Regulares pertinens ab alio Episcopo eiusdem ritus consecretur. *c*) Ius e contra benedicendi loca sacra Regularium competit Superioribus maioribus eorumdem. Ipsis quoque fit potestas delegandi ad hoc opus quem maluerint. *d*) Cum in can. 1158 universaliter praescribatur quod de peracta consecratione vel benedictione oporteat ut documentum redigatur cuius alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servetur, si quando Regulares per seipsos propriam ecclesiam benedicant. tenentur de ipsa benedictione peracta documentum ad Curiam Ordinarii loci transmittere.

Quoad consecrationem, praeterito iure, idem statutum fuerat Const. *Nunc autem,* 1, *De Religiosis domibus, ut Episcopo subiectae ;* Const. *Tua,* 2, *De Consecratione ecclesiae vel altaris;* Const. *Ex tuis precibus* Benedicti *XIV.*

Fratres Minores necnon Praedicatores ac Patres Societatis Iesu gaudebant privilegio quo poterant sua loca sacra consecrari a quocumque Episcopo, si petita prius consecratione ab Episcopo loci, iste eamdem ultra sex menses distulisset, ast controversum erat utrum huiusmodi privilegium a Conc. Trid. revocatum fuerat necne. In casu negativo privilegium adhuc hodie

sustineretur, cum agatur de privilegio directe concesso. Liquet quod ipsemet Episcopus loci, ut consecrationem ecclesiae regularis peragere queat, indiget licentia Superioris, ecclesia enim non necessario consecranda est, sed sufficit ut tantum fuerit a Superiore maiore benedicta.

De benedictione vero eorumdem locorum ex Const. *Religionis* Leonis X, Fratres Mendicantes et qui iisdem privilegiis mendicantium fruebantur, poterant etiam per *Superiores locales* sua loca sacra solemniter benedicere. Verum, cum hodie ius benedicendi talia loca concedatur equidem solis Superioribus maioribus, sed cum iure delegandi, in praxi nulla est differentia.

B. Can. 1163. « Benedicere et imponere primarium « ecclesiae lapidem, ad eos spectat, de quibus in ca- « none 1156 ». Quare Superiores maiores id possunt.

C. De reconciliatione ecclesiae pollutae. Can. 1176. § 1. « Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector « eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem « praesumpto rectoris », Praeterito iure idem Regularibus concessum erat a Const. *Religionis* Leonis X.

§ 2. « Ecclesiae consecratae valida reconciliatio ad « eos spectat de quibus in can. 1156 ». Regulares ergo huiusmodi reconciliationem suae ecclesiae sive ipsa benedicta, sive consecrata fuerit, per se ipsos peragere queunt. Praeterita legislatione idem iuris erat, nam ex Const. *Religionis* Leonis X, eisdem Regularibus concedebatur proprias ecclesias non tantum benedictas, sed et consecratas, reconciliare.

§ 3. « In casu tamen gravis et urgentis necessitatis,

« si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae conse-
« cratae eamdem reconciliare fas est, certiore facto Or-
« dinario ».

28. — De campanarum et altarium consecratione et benedictione.

Quoad campanarum et altarium consecrationem et benedictionem Regulares iisdem subiiciuntur regulis ac pro eorum locis sacris modo dictum est in superiori numero.

De campanis enim in can. 1169. § 5 sic dicitur: « Quod ad campanarum consecrationem vel benedictio-
« nem attinet, servetur praescriptum can. 1155, 1156 ».

De altaribus vero can. 1199. § 2: « servetur prae-
« scriptum can. 1155 ».

29. — De cultu indebito.

Can. 1261. § 1. « Locorum Ordinarii advigilent ut
« sacrorum canonum praescripta de divino cultu se-
« dulo observentur, et praesertim ne in cultum divi-
« num sive publicum sive privatum aut in quotidia-
« nam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur,
« aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ec-
« clesiastica traditione absonum vel turpis quaestus spe-
« ciem praeseferens ».

§ 2. « Si loci Ordinarius leges pro suo territorio

« hac in re tulerit, etiam religiosi omnes, exempti « quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Or- « dinarius potest eorumdem ecclesias vel publica ora- « toria in hunc finem visitare ».

Regulares ergo tenentur observare ea omnia quae Ordinarius loci hac in re lege propria statuerit, ipseque potest ecclesias vel oratoria publica Regularium visitare ut certior fiat de observantia suarum praescriptionum.

Iure Tridentino eadem erat Ordinarii loci potestas, siquidem in Sess. XXV, *De invocatione* etc... dicitur: « Tanta circa haec (scilicet quae cultum respiciunt) di- « ligentia, et cura ab Episcopo adhibeatur, ut nihil « inordinatum, aut praepostere, et tumultuarie accom- « modatum: nihilque inhonestum appareat: cum domum « Dei deceat Sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, « statuit Sancta Synodus nemini ullo in loco, vel Ec- « clesia, *etiam quomodolibet exempta*, ullam insolitam « ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Epi- « scopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse « nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, ni- « si etc... ».

30. — De custodia et cultu SS. Eucharistiae.

I. *De custodia*. Can. 1265. § 1, n. 1°, decernitur quod SS. Eucharistia: « Custodiri debet... in ecclesia « adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum « sive mulierum »; n. 2°, quod: « custodiri potest, de

« licentia Ordinarii loci..., in oratorio principali sive pu-
« blico sive semi-publico, tum domus piae aut religiosae,
« tum collegii ecclesiastici quod a saecularibus vel a
« religiosis regatur ».

§ 2. « Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri
« possit, necessarium est indultum apostolicum; loci
« Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantum-
« modo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et
« per modum actus ».

Can. 1267. « Revocato quolibet contrario privilegio,
« in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia
« custodiri nequit, nisi in ecclesia vel in principali ora-
« torio; nec apud moniales intra chorum vel septa
« monasterii ».

Liquet ergo ex isto canone Regulares non posse asservare SS. Sacramentum, nisi in sola ecclesia adnexa monasterio, aut, si ipsa careant, in principali oratorio quod locum ecclesiae teneat. Imo ex can. 1265. § 1, n. 1°, Regulares non tantum possunt, sed debent SS. Eucharistiam hac ratione asservare,

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, diebus 2-3 Iunii 1918 sequentem edidit canonis 1267 interpretationem: « Sensus canonis 1267
« hic est. Si religiosa vel pia domus adnexam habeat
« publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quo-
« tidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum
« in ea tantum asservari potest; secus in oratorio prin-
« cipali eiusdem religiosae vel piae domus (sine praeiu-
« dicio iuris ecclesiae, si quod habet); in eoque tantum,
« nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac

« separatae familiae, ita ut formaliter sint distinctae « religiosae vel piae domus ». Si ergo Regulares utantur oratorio ad explenda quotidiana pietatis exercitia, in eodem possunt asservare SS. Sacramentum sicut et in propria ecclesia.

Cum vero in can. 1267 dicatur explicite: « Revo« cato quolibet contrario privilegio », Regulares non amplius uti queunt privilegiis *speciali modo* ipsis aliquando concessis hac in materia, quibus poterant SS. Eucharistiam in domesticis oratoriis asservare, vel ex *immemorabili consuetudine* alicubi existente eamdem in huiusmodi oratoriis custodiebant.

Conc. Trid. Sess. XXV, c. 10, *De Regularibus*, vetabat quominus Regulares intra chorum vel septa monasterii SS. Eucharistiam conservarent. Verum, cum ex can. 1267, huiusmodi prohibitio restringatur solummodo ad sanctimoniales, Regulares non amplius eidem subiiciuntur. Quare si ecclesiam non habeant et principale eorum oratorium situm sit infra septa monasterìi, ibidem SS. Sacramentum asservandum est.

Ordinarius loci Regularibus concedere potest ex can. 1265. § 1, ut asservent SS. Eucharistiam in oratorio principali publico vel semi-publico collegiorum quae ab eisdem reguntur.

Si denique Regulares, praeter suam monasticam ecclesiam, habeant et oratorium publicum, Ordinarius loci potest tantummodo « ex iusta causa et *per modum* « *actus* » iisdem concedere ut SS. Eucharistiam in eodem custodiant. Ut id possint facere habitualiter indigent indulto Apostolico. Can. 1265. § 2.

II. *De expositione SS. Sacramenti.* Can. 1274. § 1, « In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare « sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio pri- « vata seu cum Pyxide ex qualibet iusta causa sine « Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum « ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam « fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum sol- « lemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus nonnisi « ex iusta causa praesertim publica et de Ordinarii « loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam « pertineat ».

Can. 1275. « Supplicatio Quadraginta Horarum in « omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque, in quibus « sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur, « statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua « fieri potest sollemnitate quotannis habeatur; et sicubi « ob peculiaria rerum adiuncta nequeat sine gravi in- « commodo et cum reverentia tanto sacramento debita « fieri, curet loci Ordinarius ut saltem per aliquot con- » tinuas horas, statis diebus, sanctissimum Sacramentum « sollemniori ritu exponatur ».

Disposita quoad Regulares pro expositione SS. Eucharistiae uti continentur in hisce duobus canonibus sunt tam clara ut non indigeant explanatione; sed ut res paucis amplectamur sunto: *a*) Ex qualibet iusta causa possunt Regulares in Pyxide exponere SS. Eucharistiam absque ulla Ordinarii loci licentia; *b*) E contra ista licentia indigent ut sollemniter seu cum Ostensorio eamdem peragant; *c*) In die vero Corporis Christi et infra Octavam possunt absque Ordinarii licentia non

solum durante Missa sollemni, sed et in Vesperis sollemniter exponere; *d*) Denique Regulares hodie obligantur peragere quotannis Adorationem Quadraginta Horarum, modo publicam habeant ecclesiam, et quoad tempus tenentur sese praemunire consensu Ordinarii loci.

Praeteritum ius non multum ab hodierno discrepabat tum quoad asservationem quam quoad expositionem SS. Eucharistiae, Cl. Vermeersch ita utramque materiam exponit, T. I, n. 505: *A. De asservanda SS. Eucharistia.* « Ex iure *Regularium* communi, pos« sunt tam ipsi quam moniales presse tales in *suis* « *ecclesiis* perpetuo asservare SS. Eucharistiam... In sa« cellis vero *domesticis* non possunt sine *speciali* privi« legio vel *immemorabili consuetudine* ».

« Immo vetat C. Trid. c. 10, s. 25 *De Regul.*, ne « intra chorum vel septa monasterii Eucharistia con« servetur ». B. *De Expositione SS. Sacramenti* idem auctor ita l. c. n. 510: « Nequeunt Regulares *publicam* « *in ecclesiis suis* facere, sine Episcopi licentia » expositionem Sanctissimi Sacramenti.

« Nec contra ius illud Episcopi praescribi potest « consuetudine, nisi forte haec fuerit immemorabilis. « S. C. C. 12 Iun. 1658 ad Ep. Urbaniae, et Decr. « gen. 3 April. 1821 ».

« Videtur tamen, cum nihil de modo consensus de« finiatur posse Episcopum, « explicite et implicite, « expresse vel tacite consensum " dare ,,. Ita Mélot « n. 254, afferens Rotar. t. 3, l. I, c. 2, p. I, n. 19.

« Immo ipsa S. Congr. EE. et RR. annis 1740-1741 « hanc suasit formam ».

« Fas est tamen Regularibus, sine licentia Episcopi « exponere Venerabile Sacramentum per Octavam Cor- « poris Christi, inter Missarum sollemnia et Vesperas.

2. « *Privata* expositio libere permittitur Regula- « ribus.

« Verum non convenit quaenam ratio publicae expo- « sitionis sit Regularibus ab Episcopo permittenda ». Hodie vero ex clara Codicis definitione omne dubium sublatum est.

Notat denique idem cl. auctor: « His autem quae « de *modo exponendi Venerabile Sacramentum* et de « *Laudibus vespertinis* iusserit Episcopus, valet astrin- « gere ecclesias Regularium ». Quae certe etiam ho- dierno iure sustinentur.

31. — De sacris imaginibus.

Can. 1279. § 1. « Nemini liceat in ecclesiis, etiam « exemptis, aliisve locis sacris ullam insolitam ponere « vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci « sit approbata ».

§ 4. « Si imagines, publicae venerationi expositae, « solemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario « reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti « committere ».

Regulares ergo: *a*) non indigent Episcopi seu Or- dinarii loci licentia pro exponendis in suis ecclesiis ima-

ginibus quae non praeseferunt aliquam novitatem. *b*) Imagines exponendas ipsimet Superiores maiores vel per sacerdotes ab eisdem delegatos solemniter benedicere possunt, cum sint ex can. 198 Ordinarii suarum ecclesiarum. *c*) Indigent e contra Regulares Ordinarii loci approbatione pro exponendis imaginibus quae novitatem sapiunt.

Praeterita legislatione idem iuris erat, siquidem Conc. Trid. Sess. *XXV de invocatione* etc... decreverat: « Statuit Sancta Synodus nemini ullo in loco, vel Ecclesia, « etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere « vel ponendam curare Imaginem nisi ab Episcopo ap- « probata fuerit ».

32. — De sacris processionibus.

Can. 1291. § 1. « Nisi aliter ferat immemorabilis « consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Epi- « scopi iudicio, aliud exigant, die festo Corporis Chri- « sti unica tantum solemnisque per publicas vias pro- « cessio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia « digniore, eique clerici omnes religiosaeque virorum « familiae, etiam exemptae, et laicorum interesse debent, « regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpe- « tuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum « distent ».

§ 2. « Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regula- « res possunt, intra octavam, proprias processiones ex- « tra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt

« ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias prae- « stituere quibus suam quaeque processionem agant ».

Can. 1292. « Ordinarius loci, audito Capitulo ca- « thedrali, potest ex publica causa extraordinarias « processiones indicere; quibus, sicut et ordinariis ac « consuetis, ii omnes interesse debent de quibus in « can. 1291. § 1 ».

Can. 1293. « Religiosi etiam exempti nequeunt extra « suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Or- « dinarii loci licentia, salvo praescripto can. 1291. § 2 ».

a) Regulares ergo tenentur interesse tum sollemni processioni in die Corporis Christi, tum aliis quoque quae ordinarie et consuete per annum fieri solent, uti sunt processiones in diebus Rogationum. Insuper si quae extraordinaria processio ab Episcopo, ex causa publica, indicetur, iidem interesse debent. *b*) Ab hac obligatione censentur immunes, si eorum monasterium distet ultra tria millia passuum. Item, propter strictiorem clausuram, modo sub hac lege vivant, uti sunt Carthusiani. *c*) Absque Ordinarii loci licentia ipsi possunt infra octavam Corporis Christi propriam ducere processionem. Verum, si plures in eodem loco inveniantur domus religiosae quae hoc iure gaudeant, Ordinarii loci est, ipsis praescribere et diem et horam et vias per quas transitare queant. *d*) Pro aliis processionibus ducendis, extra proprias ecclesias et claustra, indigent Ordinarii loci licentia. *e*) Integrum e contra ipsis est processiones, prout maluerint, intra proprias ecclesias et claustra ducere, modo non deferant SS. Sacramentum, siquidem ad hoc indigent Ordinarii loci licentia.

Praeterita legislatione idem iuris erat, ut videre est Const. *Dum intra* Leonis X; C. Trid. Sess. 25, c. 13, *De Regularibus*; Const. *Cum interdum* Greg. XIII; Const. *Sua nobis* Innoc. XII.

33. — De stipe pro Missae celebratione quaerenda.

Can. 1303. § 2. « Si qua ecclesia paupertate laborat, potest Ordinarius permittere ut a sacerdotibus « qui in proprium commodum inibi celebrant, propter « utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, « moderata stipes exigatur ».

§ 3. « Episcopi, non autem Vicarii Capitularis aut « Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eandem « stipem definire, et nemini, etiam religiosis exemptis, « licet ea maiorem exigere ».

§ 4. « Episcopus pro tota dioecesi eiusmodi stipem « in dioecesana Synodo, si fieri potest, definiat, aut « extra Synodum, audito Capitulo ».

Si ergo Regulares, propter paupertatem in qua versentur, censeant huiusmodi moderatam stipem pro Missae celebratione ab extraneis sacerdotibus qui in eorum ecclesiis litant, exigere, tenentur stare taxae ab Episcopo loci definitae, neque ea maiorem exquirere.

34. — De divini verbi praedicatione.

I.

De instructione catechetica.

Can. 1334. « Si, Ordinarii loci iudicio, religiosorum « auxilium ad catecheticam populi institutionem sit ne- « cessarium, Superiores religiosi etiam exempti, ab eo- « dem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos « subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae « detrimento, illam populo tradere, praesertim in pro- « priis ecclesiis ».

Can. 1336. « Ordinarii loci est omnia in sna dioe- « cesi edicere quae ad populum in christiana doctrina « instruendum spectent ; et etiam religiosi exempti, quo- « ties non exemptos docent, eadem servare tenentur ».

Regulares igitur subiiciuntur quod ad hanc materiam Ordinario loci, ipsiusque iudicio generaliter stare debent de eorumdem Regularium necessitate ad impertiendam populo catechesim. Verum, si manifeste talis necessitas abesset, censemus ipsos posse ad S. Sedem recursum facere. Item si Regulares nequeant omnes Ordinarii loci praescriptiones sancitas observare absque regularis disciplinae detrimento, eas tantum observare tenentur quae cum regulari disciplina conciliari queunt. Ex verbis can. 1334 : « praesertim in propriis eccle- « siis » liquet quod Regulares possunt ab Ordinario loci

obligari ut alibi etiam, puta in ecclesia parochiali, hanc catecheticam instructionem impertiant.

Praeterita legislatione obiter tantum, uti refert Cl. Wernz Tom. III, Tit. II, n. 36 huiusmodi Regularium obligatio recensetur. Canonistae potius oppositum quaerebant; utrum scilicet Episcopus poterat Regulares prohibere ne in suis ecclesiis catechesim populo impertirent. Ad quam quaestionem ita cl. Piat Tom. II, P. V, c. II, Q. 304, respondebat: « Negative, saltem si non trada« tur eadem hora, qua fit in parochia, uti die 30 mar« tii 1726, et pluries postea declaravit S. C. C. ».

Imo cl. Wernz, Tom. III, Tit. II, n. 45 addebat quod Regulares: « certe habita licentia suorum Supe« riorum Regularium in suis ecclesiis a docendis rudi« mentis fidei etiam speciali benedictione Episcopi loci « non petita minime prohibentur, neque in alienis ec« clesiis praevia quaedam licentia Episcopi videtur re« quiri, sed rectoris illius ecclesiae licentiam sufficere « merito asseritur. Nam quod Concilium Tridentinum « de praedicatione verbi Dei per Regulares statuit, ne« quit illico ad simplices catecheses applicari ».

Cum vero in nostro Codice nihil inveniatur contra huiusmodi doctrinam, censemus hodie adhuc eam valere posse.

II.

De sacris concionibus.

Can. 1338. § 1. « Si concio habenda sit tantum ad « religiosos exemptos aliosve de quibus in can. 514. § 1, « facultatem concionandi in religione clericali dat eo« rum Superior secundum constitutiones; qui in casu « potest eam concedere etiam iis qui de clero saeculari « vel de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordi« nario vel Superiore fuerint idonei iudicati ».

§ 2. « Si concio habenda sit ad alios, vel etiam ad « moniales Regularibus subiectas, facultatem religiosis « quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo con« cio fiet; concionator autem, verba facturus moniali« bus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea « indiget ».

§ 3. « Facultatem vero concionandi apud sodales « religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordi« narius; sed concionator nequit facultate uti sine Su« perioris religiosi assensu ».

Vigore igitur huius canonis Regulares absque Ordinarii loci licentia concionari possunt tantum ad solos suos consodales et familiares, nam de istis agit can. 514. § 1, qui in praesenti canone citatur. Quoties e contra agitur de concione habenda, licet in propriis ecclesiis, ad personas extraneas, indigent Ordinarii loci approbatione. Talis necessitas extenditur ad sanctimoniales quae ipsis subiiciuntur.

Ius nostrum proinde aliquantulum immutavit prae-

teritum. Ex Conc. enim Trid. Sess. V, c. 2, *De Ref.*; ex Const. « *Inscrutabili* » Greg. XV: ex Const. « *Superna* » Clem. X; Regulares praedicantes *coram populo in suis ecclesiis* indigebant utique approbatione suorum Superiorum; verum relate ad loci Ordinarium satis erat ut coram ipso se sisterent *personaliter* et ab eodem *benedictionem* peterent. Tantum si loci Ordinarius formaliter contradiceret, ipsi nequibant concionari in propriis ecclesiis, sed positiva approbatione, uti hodie, non indigebant. Differentia, uti patet, inter utrumque ius, licet realiter existens, in praxi tamen minima est. Quod spectat vero Regulares concionantes extra proprias ecclesias, ex Conc. Trid. l. c. et citatis Constitutionibus, idem iuris erat ac hodie in Codice disponitur.

Can. 1339. § 1. « Ordinarii locorum religiosis qui « a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concio- « nandi, sine gravi causa, ne denegent, concessamque « ne revocent, praesertim una simul universis domus reli- « giosae sacerdotibus, firmo tamen praescripto can. 1340 ».

§ 2. « Concionatoribus religiosis, ut facultate rece- « pta uti liceat, opus est praeterea sui Superioris li- « centia ».

Can. 1340. § 1. « Graviter onerata eorum conscientia, « loci Ordinarius vel Superior religiosus facultatem vel « licentiam concionandi cuiquam ne concedant, nisi prius « constet de eius bonis moribus et de sufficienti do- « ctrina per examen ad normam can. 877. § 1 ».

§ 2. Si, concessa facultate vel licentia, compererint « necessarias dotes in concionatore desiderari, debent « eam revocare; in dubio de doctrina, debent certis ar-

« gumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, « si opus fuerit ».

§ 3. « Ob revocatam concionandi facultatem vel li- « centiam, datur recursus, sed non in suspensivo ».

a) Ordinarius loci igitur, ex can. 1339, facultatem concionandi nequit Regularibus sibimet debite praesentatis a legitimis Superioribus, denegare absque gravi causa. Idem iuris est quod spectat ad revocationem facultatis iam concessae, ubi tamen notandum est quod canon noster paullo severius agit de concionatoribus ac non de Confessariis disponitur in Codice. In can. 880, § 3, edicitur non licere Ordinario loci, inconsulta Sancta Sede, ubi agitur de domo formata Religiosorum, una simul iurisdictionem ad audiendas confessiones revocare omnibus eiusdem domus religiosis ; e contra in praesenti canone talis restrictio cum non habeatur, liceret Ordinario loci, ob graves causas, facultatem concionandi omnibus religiosis revocare.

b) Modus ordinarius approbandi Regulares ad sacras conciones est examen ad quod subeundum ipsi tenentur si velint facultatem obtinere. Ita ex can. 1339. § 1 et 1340. Verum, cum norma can. 1340. § 1 eadem sit ac ea quae pro Confessionibus statuitur can. 877. § 1, ad quem ipse can. 1340 remittit, sequitur quod loci Ordinarius potest Regulares absque examine approbare, si aliunde ipsimet constet de eorumdem idoneitate.

c) Quoties loci Ordinarius iudicaverit vel revocandam esse facultatem iam concessam, vel novum sub-

eundum examen, Regulares tenentur sese subiicere, salvo iure appellationis in devolutivo.

Can. 1341. § 1 « Sacerdotes extra dioecesani sive « saeculares sive religiosi ad concionandum ne invitentur, « nisi prius licentia ab Ordinario loci in quo concio « habenda sit, obtenta fuerit; hic autem, nisi eorum « idoneitatem aliunde compertam habeat, licentiam ne « concedat, nisi prius bonum testimonium super con- « cionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio eius- « dem Ordinario habuerit; qui, graviter onerata con- « scientia, secundum veritatem respondere tenetur ».

Quoties ergo *a*) Regulares volunt extraneum vocare ut in suis ecclesiis praedicet, tenentur prius obtinere ab Ordinario loci licentiam, quamvis concionator approbatus fuerit. *b*) Quoties vero ipsi Regulares etiam in propriis ecclesiis concionari volunt extra dioecesim in qua approbati fuerint, nova indigent approbatione ab Ordinario loci. Satis tamen est, ut loci Ordinarius facultatem concedat, si a Regulari concionatore proprii Superioris bonum exhibeatur testimonium.

III.

De Episcopo concionante in ecclesia regulari.

Can. 1343. § 1. « Ordinarii locorum ius habent « concionandi in qualibet sui territorii ecclesia, quam- « vis exempta ».

Praeterita legislatione idem iuris erat, uti S. C. EE. et RR. die 17 Ian. 1583 declaraverat.

§ 2. « Nisi agatur de magnis civitatibus, potest quo-
« que Episcopus prohibere ne in aliis eiusdem loci ec-
« clesiis verba fiant ad fideles, quo tempore vel con-
« cionem ipse habet vel coram se, ex causa publica atque
« extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat ».

Unicus ergo casus in quo Episcopus potest Regularibus interdicere, ne in propriis ecclesiis praedicent vel praedicare faciant, est quando ipsemet Episcopus concionem in eodem loco fidelibus suis tenet, vel coram se alium praedicare facit. Verum et hoc in casu restrictiones a iure sanciuntur. *a*) Quando ipsemet Episcopus concionem tenet, potest equidem Regularibus interdicere ut in eodem tempore verba fidelibus faciant, sed tantum si agatur de parvis civitatibus. Et ratio est evidens, siquidem in magnis civitatibus totus populus nequiret accurrere ad ecclesiam ubi Episcopus concionatur. *b*) Si vero Episcopus ipse non praedicet, sed coram se praedicare faciat, ut ipse possit Regularibus praedicationem eo tempore prohibere requiritur insuper ut causa concionis extraordinaria sit atque publica populusque convocatus fuerit.

Praeterita legislatione idem iuris erat, ut videre est apud omnes canonistas citantes Clem. *Dudum*, 2, *De Sepulturis* ; Extrav. comm. *Super cathedram*, 2, eodem (III, 6) ; et Extrav. comm. *Inter cunctas*, I, *De Privilegiis*, et responsa Sacrarum Congregationum, de quibus vide Bened. XIV, *De Synodo*, l. 9, c. 17, n. 7, vel Piat, t. 2, n. 225-256.

IV.

De Episcopo iubente Regularibus ut in suis ecclesiis praedicent.

Can. 1345. « Optandum est ut in Missis quae, fide« libus adstantibus, diebus festis de praecepto in om« nibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis « Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae ex« planatio fiat ; quod si loci Ordinarius id praeceperit, « opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur « non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam re« ligiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis ».

Liquet quod cum canon agat de solis brevibus concionibus infra Missam habendis, Episcopus praecipere nequit Regularibus ut ultra hos limites conciones habeant.

In praeterita legislatione ita cl. Piat l. c. Q. 305 placita iuris referebat : « Id quidem oppositum videtur « Regularium privilegiis. Nihilominus S. C. C. die 2 « martii 1861, approbavit mandatum Episcopi his ver« bis conceptum ; In diebus dominicis aliisque festis de « praecepto in prima Missa in omnibus ecclesiis et pu« blicis oratoriis post Evangelium clara et intelligibili « voce, sacerdote verbo ad verbum praeveniente, et « populo comitante, recitari debet brevis instructio, quae « scienda necessitate medii vel praecepti continet ; et « declaravit Regulares in proposito casu, ob speciales « nempe circumstantias, debere mandatum Episcopi ser« vare. Et iam in Epistola nomine S. Congr. Conc.

« die 3 Decembris 1732 scripta et ad Episcopum Caia-
« censem missa, legitur : " Dedere admirationis argu-
« mentum Regulares, qui abs te rogati, ut in diebus
« festis ad primam et secundam Missam fidei mysteria
« populo explicent, id agere obtentu suorum privile-
« giorum detrectarunt ,, ».

V.

De sacris missionibus.

Can. 1349. § 1. « Ordinarii advigilent ut, saltem « decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missio- « nem, ad gregem sibi commissum habendam parochi « curent ».

§ 2. « Parochus, etiam religiosus, in iis missioni- « bus instituendis mandatis Ordinarii loci stare debent ».

In hac igitur materia Regulares, si habeant ecclesias paroeciales, ab Ordinario loci totaliter pendent.

35. — De censura librorum.

Can. 1386 § 1. « Vetantur clerici saeculares sine « consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero sine li- « centia sui Superioris maioris et Ordinarii loci, libros « quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in « diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem « moderari ».

Iam in praecedenti canone statutum invenitur necessariam esse praeviam censuram ecclesiasticam ut quaedam opera religionem spectantia edantur. In praesenti vero canone lex magis ampla pro utroque clero edicitur. Hodie ergo quod spectat Regulares, ipsi nequeunt scripta propria publici iuris facere absque *duplici licentia,* Superioris nempe sui maioris et Ordinarii loci. Ordinarius vero loci ex § 2, can. 1385 est vel Ordinarius loci ubi monasterium situm est, vel ille ubi scriptum publici iuris fit, vel tandem Ordinarius loci in quo opus vel scriptum imprimitur.

Cl. Vermeersch et Creusen in eorum Summa novi Iuris Canonici commentariis aucta, n. 549 ita verba can. 1386: « et in diariis, foliis, vel libellis periodicis « scribere vel eadem moderari » commentantur: « Cleri- « cis prohibitio olim facta diaria vel periodica *mode-* « *randi* nunc ad omnem *cooperationem* alicuius moment « extenditur quae v. g. repetitis etiam minoribus elu- « cubrationibus habebitur. Ita enim interpretamur ver- « bum " scribere ,, , cum ipse Codex alia verba pro « malis ac pro bonis periodicis adhibeat. Ne tamen quis « hac interpretatione abutatur, notanda est prohibitio « supra facta (can. 545. 2°) sine praevia censura edendi « quidquid religionis ac morum honestatis peculiariter « intersit ».

Non ita universaliter lex coarctabat Regulares praeterito iure. De praeterita enim legislatione cl. Vermeersch Tom. I, n. 371 scribebat sequentia: « Libros quos Re- « gulares velint publici facere iuris, *aeque* ac quorum- « libet fidelium libros, *recognoscit* Episcopus loci ubi

« eduntur libri. *Eodem,* inquam *pacto,* quare de iis di « intelligas libris qui communi iure censurae episcopali « sunt obnoxii. Cf. C. Officiorum ac Munerum, art. 36 ». Unde cl. Génicot, Theol. Mor. Vol. I, n. 460 concludebat: « Nunc autem profecto Regulares utraque facul« tate (scilicet Episcopi et sui Prelati) pro iis tantum « libris ad quos edendos ceteris solius Episcopi facul« tas necessaria est; *in libris de argumento mere pro« fano satis erit Regularibus sui Ordinis statuta servare,* « ut habet iampridem recepta consuetudo ».

Regulares vero tenentur receptam facultatem in ipso opere edito initio aut in fine imprimere, idest: una simul cum facultate proprii Superioris illam quoque ab Ordinario loci obtentam, ita enim statuitur can. 1394, § 1 sequentis tenoris: « Licentia, qua Ordinarius po« testatem edendi facit, in scriptis concedatur, in prin« cipio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, « expresso nomine concedentis itemque loco et tempore « concessionis ».

36. — De fidei professione.

Ex canone 1406. n. 7° Regulares tenentur fidei professionem emittere coram loci Ordinario eiusve delegato, *a*) antequam promoveantur ad Subdiaconatum; *b*) cum iurisdictionem ad sacras confessiones saecularium accipiunt; *c*) quando exercituri sunt munus concionatoris antequam facultate concionandi donentur.

37. — De piis Regularium Institutis.

Can. 1489. § 1. « Hospitalia, orphanotrophia, alia« que similia instituta, ad opera religionis vel caritatis « sive spiritualis sive temporalis destinata, possunt ab « Ordinario loci erigi et per eius decretum persona iu« ridica in Ecclesia constitui ».

Praesens canon affertur ut sequentes intelligantur. Can. 1491. § 1. « Loci Ordinarius omnia huiusmodi « instituta, etiam in personam moralem erecta et quo« vis modo exempta, visitare potest et debet.

§ 2. « Imo licet in personam moralem non sint « erecta et domui religiosae concredita, siquidem de « domo religiosa iuris dioecesani, iurisdictioni Ordina« rii loci penitus submittuntur; si de domo religiosa « iuris pontificii, episcopali vigilantiae subsunt quod « spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, « exercitationes pietatis, sacrorum administrationem ».

Can. 1492. § 1. « Etiamsi fundatione, praescriptione « aut privilegio apostolico pium institutum a iurisdi« ctione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, « ius tamen Ordinario est redditionem rationum exi« gendi, reprobata contraria consuetudine.

§ 2. « Si fundator velit administratores non teneri « rationem Ordinario loci reddere, fundatio ne acce« ptetur ».

Can. 1493. « Ordinarius loci advigilet ut piae fide-

« lium voluntates horum institutorum fundatione expres-
« sae, plene serventur ».

Regulares qui huiusmodi instituta habuerint, nisi privilegio contrario gaudeant, subduntur praesentibus canonibus, siquidem in § 1, can. 1491 cavetur expresse ut ipsa visitationi Ordinarii loci subdantur quamvis fuerint *quovis modo exempta*. In § 2 vero asseritur domum religiosam iuris pontificii talia instituta habentem subesse *episcopali vigilantiae* in iis quae ibidem referuntur. Cum igitur lex non distinguat inter domum iuris pontificii votorum simplicium et domum votorum sollemnium, seu Regularium, ipsi quoque in lege comprehenduntur. Insuper can. 1492. § 1 sancitur quod licet talia instituta fuerint etiam per Apostolicum privilegium libera seu exempta a visitatione et iurisdictione Ordinarii loci, semper tamen ipsi ius est, reprobata contraria consuetudine, exigendi redditionem rationum, seu materialis administrationis.

Si ergo Regulares huiusmodi instituta pia habeant, erecta in personam moralem auctoritate episcopi vel Pontificis, alias enim non essent religiosa sed laicalia, subiiciuntur *per se* can. 1491. § 1 et can. 1492. § 2; si vero instituta ista non habent personalitatem moralem propriam sed dependentem a Monasterio, subiacent § 2, can. 1491 et can. 1492. § 1.

Praeterito iure *per se* huiusmodi instituta subiacebant visitationi et iurisdictioni Episcopi uti ostendit Abbas in c. *De Xenodochiis* n. 3, h. t. n. 1, Fagnanus n. 1 et 2. Hostiensis n. 6 etc. Per se inquam, nam per speciale privilegium saepe ab hac subiectione liberaban-

tur. Quod vero spectat administrationis rationem ex Clem. *Quia contigit* et ex Conc. Trid. Sess. XXII, c. 9, Episcopo erat ius eandem exigendi. « Verum, ait Reif« fenstuel lib. III, tit. 36, n. 7,... ibidem solum de Sae« cularibus, non de Regularibus loquitur, (Conc. Trid.) « prout declaravit S. Congr. apud Fagnanum... ».

38. — De taxa pro Seminario dioecesano solvenda.

Can. 1356. § 1. « Tributo pro Seminario obnoxia « sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet « contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario « privilegio, mensa episcopalis, omnia beneficia *etiam* « *regularia* aut iuris patronatus, paroeciae aut quasi« paroeciae, quamvis alios reditus, praeter fidelium obla« tiones, non habeant, domus hospitalis auctoritate ec« clesiastica erecta, sodalitates canonice erectae et fa« bricae ecclesiarum, si suos reditus habeant, *quaelibet* « *religiosa domus, etsi exempta,* nisi solis eleemosynis « vivat, aut in ea collegium discentium vel docentium « ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu ha« beatur ».

§ 2. « Hoc tributum debet esse generale eiusdem« que proportionis pro omnibus, maius vel minus se« cundum Seminarii necessitatem, sed quinas quotannis « centesimas partes ($5^0/_0$) reditus vectigalis non exce« dens, minuendum prout reditus Seminarii augentur ».

§ 3. « Reditus tributo obnoxius is est qui, deductis

« oneribus et necessariis expensis supersit in anno, nec « in eo reditu computari debent distributiones quoti- « dianae, vel, si omnes beneficii fructus distributionibus « constent, tertia earumdem pars, nec fidelium oblatio- « nes, nec, si omnes paroeciae reditus coalescant fide- « lium oblationibus, tertia earumdem pars ».

Quod spectat ergo Regulares et ipsi in genere subiiciuntur praesenti legi prout constituunt personam moralem; omnia proinde regularia beneficia secundum normas in canone statutas necnon singula monasteria. Excipiuntur *a*) domus quae solis eleemosynis viveret; *b*) domus quae adnexum collegium non tantum discentium, sed et solummodo docentium. Quare, privilegio exemptionis gaudent α) monasteria quae scholas internas vel etiam externas habent adnexas; β) monasteria in quibus viveret collegium religiosorum qui instructionem extra ipsum monasterium catholicae iuventuti impertirent; γ) monasteria quae novitiatum vel professatum pro ipsis religiosis adnexum haberent. Ratio enim in canone allata, commune scilicet Ecclesiae bonum, hic etiam locum habet.

Taxa vero ex §§ 2ª et 3ª eiusdem canonis solvenda est secundum normas ibidem statutas et tantum de residuo redituum bonorum quae ad monasterium pertinent, modo supersit, non computatis oblationibus fidelium.

Praeterita legislatione ex Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 18 *De Ref.* eidem obligationi Regulares et beneficia regularia subiiciebantur, exceptis Ordinibus mendicantibus.

39. — De divisione seu dismembratione paroeciae regularis.

Can. 1427. § 1. « Possunt etiam Ordinarii ex iusta « et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque « earum rectoribus et sine populi consensu, dividere, « vicariam perpetuam vel novam paroeciam erigentes, « aut earum territorium dismembrare ».

§ 5. « Divisa paroecia quae ad aliquam religionem « iure spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter « erecta non est religiosa ».

Quoties ergo Ordinarius loci ex causa canonica censuerit necessarium dividere seu dismembrare paroeciam ad Regulares pertinentem, ipsi nullum ius habent in novam vicariam vel paroeciam, sed istae ipso iure fiunt beneficia saecularia. Quod si Regulares censuerint defuisse causam canonicam possunt equidem appellationem apud Sedem Apostolicam interponere, uti ex can. 1428. § 3 disponitur, sed tantum in devolutivo.

Paroecia insuper regularis quae dividitur debet ex propriis reditibus contribuere dotationi novae paroeciae quoties id necessarium reputabitur. In § 3 enim canonis 1427 statuitur: « Paroeciam dividens, Ordinarius « debet vicariae perpetuae aut paroeciae noviter erectae « congruam portionem assignare, servato praescripto « can. 1500; quae, nisi aliunde haberi queat, desumi « debet ex reditibus ad ecclesiam matricem quoquo « modo pertinentibus, dummodo sufficientes reditus ei-

« dem matrici ecclesiae remaneant ». Canon vero 1500 disponit: « Diviso territorio personae moralis ecclesia- « sticae ita ut vel illius pars alii personae morali unia- « tur, vel distincta persona moralis pro parte dismem- « brata erigatur, etiam bona communia quae in com- « modum totius territorii erant destinata, et aes alienum « quod pro toto territorio contractum fuerat, ab aucto- « ritate ecclesiastica, cui divisio competat, cum debita « proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis « piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iu- « ribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, qui- « bus persona moralis regatur ».

Cl. Vermeersch et Creusen in Summa novi Iuris canonici, n. 575, advertunt quod: « Sic a veteri iure « receditur, quo sola congrua dos novae ecclesiae fa- « cienda praecipiebatur... ».

Bona quae ad Regularium monasterium pertinent nequeunt subiici diminutioni cuilibet, licet paroecia unita fuerit ipsi monasterio pleno iure. Non enim pertinent ulla ratione ad ipsam paroeciam. Fundationes pariter quae ipsam ecclesiam Regularium respiciunt ad eamdem exclusive pertinent. Debita e contra quae non quidem in favorem monasterii, sed totius paroeciae contracta fuerint, transeunt pro parte ex bono et aequo in novam paroeciam. Sed debita contracta pro instauranda ecclesia parochiali ipsi soli exclusive incumbunt.

Praeterito iure res quae nondum aperte resoluta erat, ex responso S. C. Neg. Eccl. Extraor. ad Administratorem Apostolicum Banjaluka 5 Sept. 1893, et ex Litteris Card. Rampolla ad Archiep. Vrhbosnen. 11 Nov.

1896, in eundem sensum resolvebatur. In istis enim duobus documentis provisum fuit quod: « si quando « episcopus dividit parochiam, ait cl. Ojetti Syno- « psis etc... Verbum *Parochia,* quae ad religiosos per- « tinet, nova paroecia non pertinet de iure ad ipsos re- « ligiosos, imo episcopus nequit eam ipsis concedere, « sed evadit paroecia saecularis et liberae collationis, « cui, si episcopus providere aliter nequit, debet recur- « rere ad S. Sedem, ut licentiam obtineat eam provi- « sorie concedendi viris religiosis ».

40. — De bonis fiduciariis.

Can. 1516. § 1. « Clericus vel religiosus qui bona « ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex « testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Or- « dinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi « bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiun- « ctis indicare; quod si donator id expresse prohibuerit « fiduciam ne acceptet ».

§ 2. « Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria « in tuto collocentur et vigilare pro executione piae vo- « luntatis ad normam can. 1515 ».

§ 3. « Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, « si quidem loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis « causis iuvandis, Ordinarius de quo §§ 1, 2, est loci « Ordinarius; secus, est Ordinarius eiusdem religiosi « proprius ».

Si ergo huiusmodi bona fiduciaria Regularis reci-

piat, videndum est utrum in utilitatem suae Religionis vel ad iuvandas causas pias quae ad propriam Religionem non pertineant, relicta fuerint. Si primum, Ordinario loci nullam rationem eorumdem bonorum Regulares reddere tenentur; si secundum, tenentur: *a*) indicare Ordinario loci eadem bona cum omnibus adnexis oneribus; *b*) stare eiusdem mandatis quoad collocationem et conservationem ipsorum; *c*) Eidem rationem reddere de adimpleta pia donatoris voluntate.

41. — De foro competenti.

Can. 1579. § 3. « Si demum controversia enascatur « inter religiosas personas physicas vel morales diversae « religionis, aut etiam inter religiosos eiusdem religionis « non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et cle« ricum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae « est Ordinarius loci ».

Quod spectat igitur Regulares, quoties ipsi controversias quaslibet cum supradictis personis habuerint adire tenentur tribunal Ordinarii loci, itemque sese coram eodem tribunali sistere quando ab iisdem personis ad ius vocantur.

A sententia vero Ordinarii loci, si locus sit appellationis, eadem regulariter ad Metropolitam interponenda est ex can. 1594. §§ 1 et 4. Si vero causa pertractata fuerit in prima instantia « coram Metropolita fit appel« latio ad loci Ordinarium, quem ipse Metropolita, pro-

« bante Sede Apostolica, semel pro semper designa- « verit ». Ita § 2 eiusdem canonis. Tandem si causa agitata fuerit « coram Archiepiscopo qui caret suffra- « ganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apo- « stolicae subiecto fit appellatio ad Metropolitam, de « quo in can. 285 ». Sic § 3 eiusdem canonis. Metropolita de quo in can. 285 est Metropolita vicinior, electus semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione.

Laus Deo.

INDEX